

IHS


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
14—G
22

INSTITVTIO CONFESSARIORVM

Ea continens, quæ ad praxim audiendi Confessiones, & promouendi pœnitentes ad Christianam perfectionem pertinent.

Auctore Martino Fornario Brundusino Societatis IESV. Nunc tertio ab eodem recognita, & aucta.

Opus non solum Confessarijs, sed etiam pœnitentibus vtile, & accommodatum.

CVM PRIVILEGIO.





ROMAE.
Apud Bartholomæum Zannettum. Anno, 1610.
SVPERIORVM PERMISSV.

[illegible]

CLAVDIVS AQVAVIVA Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVM Institutionem hanc Confessariorum à P. Martino Fornario, Societatis nostræ Theologo compositam, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, si Reuerendissimo D. Vicesgerenti, & Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij placuerit. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ, xxvij. Octobris 1606.

Claudius Aquauiua Societatis Iesu Præpositus Generalis.

Legi ex commissione Reuerendissimi Magistri Sacri Palatij F. Ludouici Ystella librum, Institutio Confessariorum, nuncupatum, Auctore Martino Fornario, Societatis Iesu; in quo non solum nihil, quod fidei, ac morum doctrinæ aduersum sit, sed omnia animarum saluti apprime vtilia, valdeq. salutaria contineri attestor; ac ob id typis mandari posse, ac debere censeo.

Thomas Ceruera, Illustrissimi Cardinalis Zappatæ Theologus.

Imprimatur

Si placet R. P. Magistro Sacri Palatij Apost.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur

Fr. Thomas Pallauicinus Magist. & Socius Reuerendiss. P. F. Ludouici Ystellæ S. P. A. Magistri.

AVCTOR
LECTORI.

INstitutiones, quibus doctrina moralis casuum conscientiæ continetur, multi ediderunt; praxim verò compendiariam pauci. Id nimirum causa fuit, cur mihi hic labor demandaretur; & hanc Institutionem tandē, Deo fauente, darem; non quidem perfectam, sed qualem per occupationes licuit; si minus cum elegantia, & copia, certè cum diligentia curaq. non vulgari elaboratam. Hanc autem eo libentiùs adhibui, quod id à multis desiderari animaduerterem; vt hoc subsidio, cum minori labore, atque vberiore fructu Confessarij munere suo fungerentur. Porro vt pluribus vsui esset, ad eam methodum formamq. aptaui, vt non solum nostri Ordinis Sacerdotibus, sed alijs etiam omnibus esset accommodata; vel saltem illis viam, ad aptiora iuuandorum pœnitentium remedia comparanda, aperiret. Rogo igitur te, optime Lector, vt hos qualescumque conatus, non re, sed voluntate metiaris; vtq. alijs prosins, deuotis à Deo precibus impetres. Vale.

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

TRACT. I.

Tract. II. De statibus confitentium.

De

Tract. III. De Remedijs peccatorum.

LIBER SECVNDVS.

Tract. I. De via purgatiua.



Tract. II. De Via illuminatiua, seu de studio adhibendo ad virtutes comparandas, augendas, & conseruandas.

De

Tract. III. De Via vnitiua.

PRO-

PROOEMIVM.



VAE de praxi audiendi confeſsiones, & de ratione promouendi pœnitẽtes ad Chriſtianam perfectionem variis in locis Theologi ſcripſerunt, hæc colligere, & in compendium conferre ſtatui; vt noſtris Confeſſariis magis in promptu ſint, & faciliùs percipiantur. Qui labor ſi optatis votis reſponderit, operæpretium me ad animarum ſalutem, pro Dei optimi maximi gloria, feciſſe lætabor: ſin minus, occaſionem dabo peritioribus, vt opus incœptum perficiant, vel vtilius aggrediantur: Decet enim Patres ſpirituales, & maximè Societatis noſtræ, in animis pœnitentium informandis eſſe conformes; quod vix ſine inſtructione fieri poteſt. Hæc igitur noſtra Inſtitutio tradit modum, ac rationem iuuandi pœnitentes incipientes, proficientes, & perfectos: docet enim quo modo ſe gerere debeat Confeſſarius ante con-

feſ-

ſeſsionem , in confeſsione , & poſt ip-
ſam : quo modo item cum omnis gene-
ris hominibus , & præſertim in adhi-
bendis remediis peccatorum ; & deni-
que in promouendis pœnitentibus ad
Chriſtianam perfectionem. Placuit au-
tem diſtribuere in duos Libros , ſeu in
ſex Tractatus , quibus hæc omnia com-
prehenduntur.

IN.

INSTITVTIONIS CONFESSARIORVM

Liber Primus.

De officio Confessarij erga incipientes.

STATVS perfectionis Euangelicæ in Ecclesia militante tres habet gradus, incipientium scilicet, proficientium, & perfectorum: nam *vt voluntas in suis conatibus non repente ad summum peruenit, sed paulatim certis incrementis in illud fertur; sic charitas, quod est vinculum perfectionis, cum nata fuerit, nutritur; nutrita roboratur, & roborata perficitur,* vt Aug. tract. 5. in Ioan. c.2. Vnde triplex gradus iam dictus oritur; qui etiam continetur in tribus vijs: nempe in purgatiua, quæ est incipientium; & illuminatiua, & vnitiua, quæ est proficientium, & perfectorum; de quibus libro secundo dicam. Eosdem gradus admittit Hieron. in Isai.cap.61. August. serm.17. *de Verbis Apost* Greg.24.moral.c.7. & in Ezech. hom.15. Bern.serm.4. *ad fratres*, & serm. *de ligno*. Bonau. *in Pharetra*. l.1. c.33. Distinguuntur autem hi gradus, ex eo quod est in vnoquoque præcipuum, & proprium; sunt tamen semper in hac vita inter se permisti; nam

nam vt incipientes habent aliqua principia perfectionis, propter lumen gratiæ; ita in perfectis, dum hic viuunt, semper inest aliquid, quod purgetur, vel perficiatur; vt docet Bern. serm. *de quatuor modis orandi*. De his igitur, Deo fauente, breuiter scribere institui.

TRACTATVS PRIMVS.

De ijs, quæ præstare debet Confessarius ante confessionem, in confessione, & post ipsam.



CVM totus hic libellus in tradenda ratione versetur animi curandi, ac salutari peccatorum expiatione sanandi: intelligat lector, solum de praxi iam dicta in eo agendum esse, non autem de casuum conscientiæ doctrina; quam in hac institutione statuendam potius esse duximus, quam inserendam. Obiter tamen interdum, cum res ipsa postulabit, aliqua attingam; & ex Doctoribus scholasticis paucos afferam ex recentioribus, qui alios adducunt; & ab omnibus facile præ manibus haberi possunt.

De ijs, quæ Confessarius præstare debet ante confessionem. Cap. I.

Muneris præstantia, ac difficultas.

COnfessarius, vt cum dignitate, & fructu munere suo fungatur, rectè perpendat, & intelligat oportet, quod *diuinissimum est opus, esse Dei ministrum, ad reducendas animas ad*

suum

suum principium; vt ait D. Dionysius lib. de Eccles. Hierarch. & *gloriosum, esse Dei coadiutorem*, vt ait D. Bernardus; atque hoc onus angelicis humeris formidandum, maioris esse ponderis, quàm vt proprijs viribus ab homine sustineri possit, nisi diuina roboretur virtute; qua fretus Apostolus, *Omnia*, inquit, *possum in eo, qui me confortat*. Quamuis ergo nihil difficilius sit, quàm obdurata hominum corda, terrenisq. affixa emollire, atque ad Deum conuertere; diuini tamen Spiritus feruore, & ope id assequimur: ex quo profectò intelligitur, qua cordis puritate esse debeat Confessarius, & quàm Deo coniunctus; Cogitet prætereà pœnitentem, qui accedit ad confitendum peccata sua (quem etiam ipsius muneris erat quærere, quasi ouem errantem) à Deo sibi missum, vt pretio sanguinis Filij eius per sacramentum applicato, tamquam eius minister soluat, sanet, illuminet, à periculis eruat, & in viam salutis dirigat. Nec conturbetur, quòd aliqui nihil proficere videantur; quia animarum conuersio non ab hominis arte, vel ingenio, sed ab vno Deo est: propterea *Nos, qui firmiores sumus, debemus imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere*: diuinum prætereà auxilium implorare, & patienter expectare, *Charitas enim patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. Quare tibi persuadeas accidere facilè posse, vt is, de cuius salute nunc desperas, sanctior te euadat, & in cælesti gloria præcedat, quia *Non est abbreuiata* *manus*.

Cap. 3

Phil. 4.

Difficultas omnis ope diuina superāda.

Chrysost. hom. 10. *in epist. ad Heb.*

Rom. 15.

Non desperāda pœnitētis salus.

1. *Cor.* 13.

Esa. 59.

manus Domini, sed *potens est iterum statuere illos*. His igitur cogitationibus incitati, hilares sacrum hoc munus complectamur, *Omnem ostendentes mansuetudinem*, (vt Diui Pauli verbis vtar) *ad omnes homines*; *eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs*; atque omnia omnibus facti, omnes lucrifacere contendamus; nam vt ait Chrys. [hom.40. super Epist.1. ad Corinth.] *Quo plures socios quisque ducet in cœlum, eo erit beatior*; Quòd si ex sententia non succedat, certo scimus non fore inanem laborem nostrum in Domino: immo pro Christo Redemptore laborare, & pati, maximæ mercedis loco nobis esse debet: sed vt propiùs ad rem accedamus.

Rom. 11. Tit. 3. 1. Cor. 9. 1. Thess. 3. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Eph.

Confessarij potestas.

1 Cùm præter scientiam, sigillum, prudentiam, & morum probitatem, requiratur in Confessario potestas tum ordinis, tum iurisdictionis, (quoniam est iudex in foro conscientiæ loco Dei constitutus;) videat in primis, an sit ipse ritè approbatus ab Ordinario loci, & à N.P. Generali, vel à P.Prouinciali, per quos Societatis nostræ priuilegia nobis communicantur. Item an pœnitens pertineat ad suam iurisdictionem; & quousque se extendat sua potestas, quoad casus præsertim reseruatos, & censuras, votorum commutationem, dispensationem, &c.

Quid præmittet ante cōfessionē.

2 Ignorantes necessaria ad salutem primùm doceat iuxtà ea, quæ nos infra tr.2.c.17. vel mittat ad aliquem instructorem. Prætereà si in principio confessionis animaduertit pœni-

tenti

tenti deesse attritionem, adiuuet illũ; vel si est obstinatus, dimittat, Deoq. commendet, adhibita admonitione Diui Gregorij Pastor. par. 3. admon. 14.

3 Videat an pœnitens se præparauerit, vt pro qualitate personæ, temporis, & aliarum circumstantiarum satis esse iudicauerit, [de quo Tolet. l. 3. c. 17. Suar. disput. 22. sect. 10. in fine. & disp. 23. sect. 3.]

4 Si accedat aliquis ipsi ignotus, interroget quampridem sit confessus; & an pœnitentiam in superiore confessione iniunctam impleuerit; & si forte omisit, quam ob causam omiserit. Ad hæc cùm longa est confessio, & personæ circumstantia requirit, inuestigare expedit vitæ genus, seu exercitationem; an retineat aliena; an occasionem habeat peccandi; an odia, vel inimicitias exerceat; an inciderit in aliquam censuram; aut in casum reseruatum; an angatur scrupulo de præteritis confessionibus; & similia, quæ impediunt absolutionem: quæ si negetur post auditam confessionem, dolorem afferret pœnitenti, & conturbationis occasionem. *Henr. l. 6. c. 29.*

Quomodo animabit pœnitẽtes.

5 Pœnitentibus, qui timidi, vel pusillo animo sunt, animos det, & ad fideliter confitenda peccata sua hortetur, vel ex eo maximè, quòd salutare hoc remedium Dominus instituerit, quasi animæ ægrotæ medicinam, paratus pœnitentem, vt filium prodigum recipere: nam *quomodo miseretur pater filiorũ, misertus est dominus timentibus se; quoniã ipse cognouit figmen tum nostrum, & est suauis, mitis, & multum mise-* *Ant. 3. p. tit. 14. c. 17. §. 5. Hen. l. 6. c. 31. n. 7. Ps. 102. Psal. 85. Aug. in Psal.*

misericors: pollicens non solum gratiæ, alijsq. donis propter peccatum perditis illum restituere, sed maiora etiam addere; dummodo cum debito dolore, & proposito emendationis confiteatur; *Quia Deo purissimo nihil est tã dignum, quàm puritas, & purificatio*, [vt ait Greg. Nazianz. Orat. 3.] Adiungat etiam consolationem ex Dei promissione, Ezech. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor amplius*. Et Mich 7. *Proijciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Item Isai. 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Vbi obseruandum est, dealbari peccata per pœnitentiam; quia scilicet homini iustificato præterita peccata decori potius sunt, quàm dedecori; [vt Tertul. lib. 2. contra Marcionem;] Contra verò sine pœnitentia decedentium peccata toti Mundo manifesta fient, cum æterna confusione, & pœna; [vt idem Tertul. notat lib. de pœnitentia.] Affert item animum, quod Christum Dominum, qui Iudex est, habet etiam Aduocatum; vt 1. Ioan. c. 2. *Si quis*, inquit, *peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, &c.* & Paulus ad Hebræos 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*, idemq. ad Rom. 8. Ac ibidem c. 5. ait, *Si cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius*. Atque ea propter D. Iacobus c. 5. *Confitemini*, inquit, *alterutrum peccata vestra*. Addat præterea, quòd cùm posset Dominus iure suo

re suo magis ardua iubere, solum præcipit confiteri peccata Sacerdoti, qui sub secreto sacramentali omnia recipit, ac pœnitentem ipsius Dei nomine absoluit, & humaniter tanquam pater consolatur, & instruit. [Plura de his lege apud Orig. hom. 8. in Gen. D. Greg. l.8. moral. c.5. & 10. Item l.30. c.16. & l.31. c.18. & Pastor. p. 3. adm.30. Item Chrysost. hom.3.5.40.41.77.80. ad pop. & 68. in Matth. & 33. in Ioan. & hom. 9. ad Hebr. & hom.2. in Psal. 50. Lege etiam, quæ nos infra tract. 2. c.17.] His denique præmissis confessionem aggrediatur, benedicto primum pœnitente, & dicto *Confiteor*, aliàve oratione, si initio hæc præstita non sunt.

De iis, quæ seruanda sunt Confessario in ipsa Confessione. Cap. II.

1 CVret, vt ipse Pœnitens primum dicat, quæ memoriæ occurrunt; deinde, cùm opus est, Confessarius suppleat iuxta ordinem decalogi, & præceptorum Ecclesiæ: præcipuè autem interroget circumstantias peccatorum, quæ mutant speciem, vel in infinitum, aut notabiliter aggrauant, vel minuunt; & circumstantiam scandali; numerum peccatorum, & tempus, quo perseuerauit in peccato, si est habituatus; quoties item eo tempore interrupit voluntatem actu contrario, vel etiam diuerso, si magnum intercessit temporis interuallum, seu longa cessatio; vel quoties actu externo peccauit in singulas hebdomadas, vel menses,

Tolet. l. 3 ca. 18. Henr. l. 6 c. 28 §. 4 Quomodo se geret circa circumstantias, & numerum.

plus minus; præterea de actu inreriori cum consensu in peccatum, saltem interpretatiuo, & de cogitatione morosa, & de intentione mala in actionibus; de occasione peccandi, & an sit recidiuus. Atqui dum confitetur peccatum pertinens ad vnum præceptum, ne transeat ad aliud, nisi illud primum examinet diligenter; & denique ad sextum, & septimum præceptum decalogi reducat nonum, & decimum.

2 Coërceat eos, qui superflua dicunt, & ad confessionem non spectantia, præsertim scrupulosos; contra verò suggerat ijs, qui omittunt necessaria, vel propter ignorantiam, vel quia non accedunt satis parati; nempè iudicia temeraria, aliaq. peccata mentalia, detractiones, & similia: plerique enim formam eandem crassam semper obseruant, grauiora tacentes.

Cautio in peccatis luxuriæ. *Tolet. l. 3 c. 19. Henr. l. 6 c. 27. Suar. disput. 32. sect. 3. Tract. 2. c. 19.*

3 Peccata luxuriæ studeat vt honestis verbis explicentur; eaq. cautè interroget, paulatim à cogitationibus ad verba; deinde ad actus progrediendo: caueatq. ne dum nimis curiosè impudica inuestigat, vel ipse in tentationem incidat, vel Pœnitētes peccata discant, aut ad ea prouocentur; idq. cum puellis, & pueris maximè obseruandum est; vt infra patebit. Neque confitentem arguat, nec admiratione conturbet antequam finiat confessionē; ne exterritus peccata sileat. Ad hæc videat, ne dum alijs prodesse nititur, sibi noceat; [vt monet Greg. 27. moral. c. 27.] Propterea adhibeat antidotum, vt solent medici tempore pestis; nimirum orationem iaculatoriam, qua ani-

animum ad Deum sæpè leuet, eius auxilium, implorando, mentemq. statim ad alia diuertat; & sic iacula euadet malarum cogitationum; ei enim, qui facit quod in se est, Deus numquam deest: Idq. figura explicatur Exo.30. maris ænei, ante fores templi ad abluendum Sacerdotum manus, & pedes collocati: nam Sacerdotes audiendo confessiones lauant hominum mentes; & quamuis ipsi maculentur, quia perdunt serenitatem, tamen *Tanto facilius eorum tentatio eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigantur*: vt Gregor. Past. p.2. c.5. Lege etiam Caiet. Opusc. to.1. tract.22. Nauarr. cap.11. num. 12. ad auferendos scrupulos Confessarijs, & ad cautelam addendam.

4 Et, si suspicatur interdum pœnitentem in alijs confessionibus non dixisse numerum peccatorum, nec ipse de hoc se accusat, eum non interroget de hac re, sed relinquat in bona fide: nam præsumere debet Confessarium functum esse officio suo; similiter cùm tacet peccatum, quod aliunde certò scit illum commisisse. Hæc tamen magis explicatè docet Nau. [cons. 11. de pœnit. & remiss. Suar. disp.32. sect.3. Henriq. lib.6.de Sacram. c.20. §.6. qui alios Doctores afferunt.]

Quando Pœnitẽs in bona fide relinquendus.

5 Si dum coniugatorum confessiones audit, impedimentum aliquod dirimens matrimoniũ in eis cognouerit, vel impediens petitionem, debiti coniugalis illis ignotum, ipsis ne detegat; sed eos in bona fide viuere sinat, vsque dum dispensandi cum eis facultatem obtineat,

vel consulat peritiores: & idem obseruet cùm ex correptione maius malum timet. [Suar. disput.32.sect.4. Henr.l.6. c.28. lit.b. & plerique alij, quos citant.]

Quando ad reuelandum obligandus.

6 Non absoluat eos, qui habent certam notitiam alicuius peccati, ex quo imminet graue damnum Communitatis in futurum; nisi statuant reuelare superioribus, quibus illi prospicere incumbit: quod tamen cautè, & cum consilio fiat, ne in perniciem cedat pœnitentis, si temerè reuelet: satis est tamen aliquando secretò, vel per alium reuelare.

7 Cùm temerè pœnitens complicem reuelat, corrigat eum Confessarius; neque ad illum sibi prodendum instigabit, nisi cùm eius saluti expedire iudicabit. [Henr.l.6.c.9. & 10. Suar.disp.34.sect.1. & communis.]

De quibus interrogandus.

8 Confessarius non debet esse nimius in rogando; quia non de omnibus, neque omnia singulos expedit interrogare; sed habita ratione personæ, loci, temporis, & integritatis confessionis; ea tamen, quæ arbitratur esse necessaria, rogare tenetur, vt probat Suar. [disp. 32. sect.3. num. 5. Henric. libr.5. de Sacram. cap.3. §.10.]

9 Quare interroget in fine confessionis præter illa, quæ supra attigi, an voluerit aliqua peccata committere, quæ non potuit; an egerit aliquid contra grauem remorsum conscientiæ, vel cum conscientia erronea, nempè putando, vel dubitando illud esse peccatum mortale, quod verè non erat eiusmodi. Item an se exposuerit periculo peccandi; an excom-

muni-

municatus interfuerit Missæ, vel alijs diuinis officijs; an cum excommunicatis communicauerit in diuinis; vel fuerit causa violandi interdictum, suspensionem, &c. an aliquid fecerit contra reuerentiam loci sacri; an defuerit officio suo, seu obligationi; an induxerit aliquem ad peccandum, saltem indirectè. Item an aliquid recordetur, quod eius conscientiam vexet: & generaliter confiteatur, se offendisse Deum suis sensibus, & potentijs, & defecisse circa opera misericordiæ, & multa præcepta affirmatiua virtutum, vt Fidei, Spei, & Charitatis, Humilitatis, Patientiæ, & conuersionis in Deum primo tempore vsus rationis; item virtutis Religionis, qua debet Deum venerari, orare, eiq. pro innumeris,& maximis beneficijs gratias agere, & tamen offendit; accuset denique se de omni alio actu, in quo displicuit Deo, vel fuit causa, vt aliquis alius peccaret; vt ipse Dominus melius nouit, qui scrutatur corda hominum. Quæ, & alia multa ex interrogatorio petet, quod paratum habere oportet ex Directorio Polanci, vel ex summa Henriq. [l.6. de Sacram. c 29. & 30.] Ego enim illud breuitati studens sponte omisi, quòd hic libellus nimis crescere videretur.

De ijs, quæ Confessarium præstare oportet in fine confessionis. Cap. III.

1 Poenitentem sedulo, sed mansuetè hortetur ad obseruationem diuinæ legis, & in virtutibus progressum: eiq. pœnas, & pœniten- Pœnitēs hortandus, eiq.

pœnitentia iniũgenda. nitentias meritas indicet, vt paulatim ad pœnitentiam acceptandam disponatur; simulq. correptionem, & peccatorum remedia adhibeat, vt spiritus, & prudentia suggesserit; iuxta ea, quæ in Tra.3. dicentur. [Lege Orig. hom.27.in Num. Greg.19.moral.c.12. & hom. 15.16.17.in Ezech. Cassian.collat.24.c.23.]

In eo autem maximum momentum esse ducat, vt pœnitens constanter proponat in posterum numquam amplius peccare: quare si non est contritus, curet vt saltem ad attritionem necessariam inducat, ex his, quæ nos tract.2. c.17. At verò tutius est, ante absolutionem pœnitentiam iniungere, cùm grauis est, ne postea recusetur, [vt Nau. c.26.n.10. Tol.lib.3. c.12.Henriq.l.5.c.22.§.10.]

Opera satisfactoria. 2 Quamuis omnia opera bona pro satisfactione iniungi possint; ea tamen ad tria capita rreducuntur; nempè ad Ieiunium, Orationem, & Eleemosynam. Ad Ieiunium spectant omnes carnis afflictiones, idest flagellationes, abstinentiæ, cilicia, vigiliæ, peregrinationes, super solo, aut super tabulis accubatio, & aliæ eiusdem generis. Orationis verò nomine non solum intelligitur vocalis Psalmorum, Coronæ, Rosarij, &c. sed etiam mentalis meditatio, lectio librorum spiritualium, Missa, & alia diuina officia, conciones, frequentia sacramentorum, & similia. Eleemosyna denique comprehendit omnia opera misericordiæ corporalia, nimirum curare infirmos, visitare hospitalia, excipere peregrinos, & id genus alia; ex quibus eliget Confessarius aliqua prudenter; habita

ra-

ratione grauitatis,& numeri peccatorum;contritionis item,sexus,ætatis,& dispositionis,corporis,status,temporis Iubilei,& opportunitatis implēdi:videatq. in primis,ne pœnitētiæ,quas imponit, in præiudiciū tertij cedant;deinde ne pro peccato secreto iniungat pœnitētias publicas,nisi spontè ille peteret,& expedire ipse confessarius iudicaret. Tertiò procúret,vt pœnitentia sit non solùm afflictiua, sed etiam præseruatiua: & moneat non posse impleri per actus aliàs debitos ex præcepto, nisi id Confessarius exprimeret; quando autem exprimere debeat, ipsius prudentiæ relinquitur. [Lege Suar.disp.37. sect.4. Henriq.l.5.c.21. §.3. qui alios supplent.] Quartò suadeat libenter implere pœnitentiam; immò vt alias sua sponte assumat ad augendum meritum, ad minuendas pœnas Purgatorij, ad placandum Deum,ad disponendum animam ad gratiam, ad remedium peccatorū,& ex his,quæ nos infra tract.2.c.17. Quintò, quomodo autem possit mutare pœnitentiam ab alio Confessario impositam,præsertim superiore, & eam moderari, & declarare, habes in Suar. [disput.38.sect.10.Henriq.l.5. c.22. Nauarr.c.26.n.21. & 22. qui alios referunt.] Sexto, quamuis non sint iniungendæ pœnitentiæ iuxta antiquos canones,eas tamen indicare proderit, & tandem potius inclinare in misericordiam, quàm in seueritatem, [vt Henriq. l.5.de Sacram. c.22. §.9. & l.6. c.26. §.8. Nau.c.26.n.17. Chrys.l.2.de sacerd.] Videat tamen,ne si leuia quædam opera pro grauissimis delictis iniungat, alienorum peccatorum

Quæ cautio in Pœnitentia iniúgenda, vel mutanda.

Concil. Trident. Sess.14.

rum

Cap.8.de Sac pœn. rum particeps fiat; cuiusmodi sunt blasphemiæ, homicidia, sodomia, adulteria, stupra, sacrilegia, proditiones, & alia eiusdem generis. Illud etiam adiungo, plurimùm scilicet conferre, vt singulis peccatis contraria adhibeantur remedia: eaq. pœnitentiæ loco imponantur, de quibus sigillatim tract.3. dicam: Leues item, sed diuturnas pœnitentias iniungere, exempli gratia, vt quotidie cùm surgit, cogitet se esse moriturum, deambulet per hospitale, audiat Missam, osculetur terram, & alia similia opera: solent enim plurimum prodesse. Septimò, cùm pœnitens recusat sine causa pœnitentiam præseruatiuam necessariam eius emendationi, non est absoluendus; quia signum est, eum non esse bene dispositum. Alijs autem posset facilius indulgere, commutando, cùm rogant, in alia opera. Si quis autem nullam velit implere, eum non absoluat.

Nau. ca. 20. n.26 Henr.l.5 c.20.§.5

Octauo distinctè explicet, quod iniungit pœnitenti; vt rectè intelligat quid teneatur implere sub præcepto obligante ad peccatum mortale, & quid de consilio; & an aliquam pœnitentiam possit implere per alium. [Henr. lib.5. cap.21. Anton. 3.par. tit.14. c.19. §.19. & alij.]

Cautio circa reseruatos casus, & dispẽsationes.

3 Cùm in confessione aliquis casus reseruatus occurrit, vel ipse Confessarius petat à Prælato facultatem absoluendi, tacito nomine pœnitentis; vel si sine scandalo fieri possit, ipsum pœnitentem ad Prælatum, seu ad Pœnitentiarium mittat; qui vel absoluat eum sacramen-

mentaliter, vel concedat facultatem, vt absolui possit à proprio Confessario.

4 Si quando Ordinarius suos casus reseruatos, seu totam suam potestatem alicui Confessario concedit, non poterit hic absoluere, nisi à casibus, & censuris reseruatis, & expressis in edicto reseruationis; non autem ab alijs, quæ in Iure Episcopis conceduntur, & præsertim cùm requirunt specialem commissionem, vt quæ continentur in Conc. Trid. sess. 24. c. 6. de reform. & alibi. Nec etiam talis dispensare poterit ab Irregularitate, nec in Votis, vel Iuramentis, neque hæc commutare, nisi id ei expresse committatur; idq tunc intelligitur concessum in foro conscientiæ, & in Sacramenti Pœnitentiæ administratione. [Nauarr. c. 26. num. 31.] *Cap In generali de reg. iur. 16. Nau. c. 27. nu. 250.*

De absolutione, & modo absoluendi.

5 Circa absolutionem, vt intelligat Confessarius quando eam dare, quando negare, & quando suspendere debet, hæc animaduertenda sunt. Primùm, si Pœnitens integrè confessus videtur cum debita contritione, & pœnitentiam acceptauit, tenetur Confessarius eum absoluere. Secundo sciat quæ verba sint essentialia, quæ substantialia formæ, quæve ad decentiam adiuncta; tam præcedentia absolutionem ad disponendum pœnitentem, quàm subsequentia; quæ propterea adduntur, vt omnia opera virtute clauium fiant ei satisfactoria; [vt cum D. Thom. docet Nauarr. c. 26. n. 11. Tolet. l. 3. c. 12. Suar. de pœn. disp. 19. Henriq. l. 4. de sacram. c. 11. & 12.] Tertiò, absoluat pœnitentem à censuris sub solita forma condi-

tiona-

tionali, (*quantum possum, & indiges*) antequam absoluat à peccatis; sed tamen à suspensione solos Clericos ordinatos; in reconciliationibus autem leuium peccatorum seruetur consuetudo. Cùm verò scit aliquem esse excommunicatum, non absoluat à peccatis, antequam absoluat ab excommunicatione, vel ipse, vel alius, qui habet potestatem. Quarto, numquam absoluat à peccatis sub conditione de futuro, vel sub ratihabitione; quia non esset valida absolutio: sub conditione verò de præsenti, vel præterito absoluens peccaret; quia verba formæ mutare non licet; valida tamen esset absolutio. In aliquo tamen casu licitum est sub conditione impropriè sumpta absoluere; vt cùm quis absoluit puerum, vel phreneticum, vel infirmum in articulo mortis, & dubitat, an habeant plenum vsum rationis; poterit absoluere, retenta saltem in mente ea conditione; *si es capax absolutionis*: similiter cùm dubitat an absoluerit: *si non es absolutus*, &c. [Henr. lib. 4. c. 12. §. 5. cum Medina, Penna, & alijs.] Cùm verò absoluitur aliquis, qui aliàs non posset absolui, nisi promittat satisfacere, vel restituere, vel stare mandatis Ecclesiæ, seu seruare sacros canones, vel remouere occasionem, acceptare data remedia, &c. promissione præstita debet absolui, non conditionatè, sed simpliciter sub solita forma, vt alij pœnitentes. Quintò, eos qui sunt in articulo mortis, non absoluat à reseruatis præsente Prælato, vel cùm potest commodè peti ab eo facultas; alioquin si hæc non suppetunt,

Nauarr. c. 26. n. 7

De absolutione in articulo mortis.

tunt, absoluet ab omnibus, iuxta facultatem ab Ecclesia concessam: hoc tamen discrimine, quòd cùm absoluit ab excommunicatione, admonendus est pœnitens, vt si conualescat, se præsentet suo Prælato, vel ab eo absolutionem procuret. Cùm autem absoluit à casibus reseruatis, qui non habent annexam excommunicationem, nulla remanet obligatio, sed est simpliciter absolutus. De modo absoluendi Hæreticos, & Schismaticos promissa abiuratione, & iuramento, infra dicam tract. 2. capit. vltimo in fine. An verò possit iure absoluere eum, qui in dicto articulo signa tantùm contritionis ostendit, consulat Doctores; vt in extrema illa necessitate promptè saluti proximi consulere possit; [Propterea lege cap. *Multiplex.* de pœniten. dist.1. & cap. *Is, qui in infirmitate.* 26.q.6. Tolet. l.3.c.8. & 20. & l.1.c.15. Suar. disp.30. sect.3. Henr. lib.5. de sacram. c.12. & l.6.c.11.]

Concil. Trid. sess. 14. c. 7. de Sacram. pœn. et c. Eos qui. de sent. exc. l. 6.

6 Cùm aduertit pœnitentem non esse dispositum, nec posse tunc adduci vt disponatur, neget absolutionem; ita tamen, vt rationabiliter id fieri intelligat, quoniam deest officio suo. [Nau.c.30.n.10. & 20. Tolet.l.3. c.18.] Similiter cùm iudicauerit esse suspendendam ad tempus absolutionem, vt fieri oportet aliquando cum recidiuis, cum tepidis, cum habentibus occasionem proximam peccati, cum retinentibus aliena; (si præsertim aliàs Confessarium deceperunt) cum habentibus casus reseruatos, & maximè cum excommunicatione. Item cùm dubitat, an pœnitens sit bene attritus,

Quando neganda est absolutio.

Nauarr. c. 26. n. 4

tus; vel cum alia ratione probabiliter dubitat Confessarius, an eum possit ritè absoluere, vt infrà dicemus. Certum est enim posse eum impertiri absolutionem longo tempore post auditam confessionem; vt cum communi sententia docet Henriq. [lib. 4. de Sacram. c. 11. §. 6.]

Tract. 2. c. 13

Quid circa votorum trāsgressores.

7 Eos, qui vota emissa non impleuerunt cùm possent, absoluat à transgressione voti, si aliàs sint benè dispositi; & constituat illis tempus, quo implere teneantur; vel, si videbitur profuturum, suspendat absolutionem; si autem non possent implere, vel non commodè, videat, an expediat commutare, vel dispensare; & obtenta potestate, commutet simul, & dispenset, si subsit causa; hoc enim tutius est; vel mittat ad Prælatum.

Quid circa suspēsos, & irregulares.

8 Nec absoluat à suspensione sacræ Pœnitentiariæ sine speciali commissione; quia est veluti sententia superioris. [Lege Nau. c. 27. n. 151.]

9 Irregularem, & suspensum poterit quidem absoluere à peccato, nisi sit casus reseruatus; moneat tamen manere censuras; nisi ex priuilegio, vel ex speciali commissione eas etiam auferre possit: attamen cùm irregularitatem tollit, dicat: *Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi ob talem causam, &c.*

Causæ communionis suspēdēdę.

10 Expedit aliquando suspendere pœnitentem à sacra communione; nimirum ratione scandali, vt cùm fuit aliquis publicus peccator, vsque ad debitam satisfactionem. Secundò,

dò, vt se melius præparet. Tertiò, post sumptum cibum, vel potum à media nocte, nisi communicaret per modum viatici. Quartò, ratione reuerentiæ, vt propter tussim, vomitum, vel simile impedimentum. Postremo, cùm iudicat alijs de causis ei profuturum ad morum probitatem, & progressum in spiritu. Moneat tamen pœnitentem, cùm est clericus initiatus, hanc non esse censuram suspensionis, sed prohibitionem tantùm Confessarij, ad vtilitatem ipsius pœnitentis.

11 Cùm quis à censuris, seu à peccatis reseruatis ritè absolutus ab eo, qui habebat potestatem, recordatur alicuius alterius peccati reseruati, cuius oblitus est in confessione, poterit à proprio Confessario absolui; quia propter absolutionem illam generalem desijt esse casus reseruatus: nisi reseruaretur alteri potestati, quam prior ille Confessarius non habebat: Secus tamen sentiendum est de commutatione, & dispensatione votorum; quia hæc non se extendit ad oblita; cùm non detur in genere; nisi expresè id ille intenderet, qui dispensat, & potestatem haberet, & subesset causa legitima; nempè ad tollendos scrupulos, propter leuitatem in vouendo, aut alia similis. *Nauarr. c.26. nu. 13. Suar. disp. 31. sect.4. n. 12.22.& 24. to.4.* Quid circa oblitos casus

12 Quamuis comparationes cuiuslibet mali cum peccato, eiusq. electio potius quàm peccati, cùm in eas pœnitens propria sponte prorumpit ex feruore spiritus, meritoriæ sint; ab illis tamen proponendis omnino abstineat Confessarius; ne laqueos tendat pœnitenti; Abstineat à comparationibus periculosis.

sed

sed in genere interroget, an sit paratus ab omni peccato abstinere, & Dei fretus ope eius legem obseruare; non tamen ad id obliget noua adiuncta promissione, aut voto, vt Nau. c. 26. n. 2.

Quid aget post absolutionem.

13 Post absolutionem primum gratias agat Domino Deo, quòd pro eiùs amore concessit laborare ad salutem proximi; deinde oret pro pœnitente, & in alijs etiam orationibus eum Deo commendet: eaq. facie cum ipso in posterum agat, ac si peccata eius prorsus ignoraret; tum quia non scit illa, vt homo; tum quia immundus is habendus non est, quem Christus suo sanguine purificauit; vt ex Petri illa visione, Deiq. responso liquet, & exponit Tertull. [lib. 2. contra Marcionem, Chrysost. hom. 9. & 12. ad Hebr. & alibi, vt infra patebit.] Tertiò, sigillum seruet inuiolabiliter, ita vt neque cum ipsomet poenitente de peccatis in confessione auditis loquatur, sine ipsius saltem tacita licentia: cùm alijs verò in nullo casu, nisi cum licentia eius expressa: & tunc curandum, vt sine scandalo, ac sine eius periculo, aut damno vllo fiat. Ad sigillum autem pertinent omnia peccata audita in confessione, etiam cùm negata fuit absolutio. Item audita extra confessionem, sed tamen in ordine ad illam; & verò etiam peccata aliorum in ea quomodolibet reuelata. Caueat praeterea, vt non solùm directè, sed nec etiam indirectè reuelet sic audita, etiam post mortem poenitentis; quod multis modis potest accidere, [de quibus Silu. V. Confessio. 3. Nauar c. 8. n. 11.

Act. 11.

Cautiones circa sigillum.

Tolet.

Tolet. l.3. c.16. Henriq. l. 6. de sacram. c. 21. Suar. disp.33. & alij.] Propterea caueat, ne dum vnum pœnitentem laudat, alteri detrahere videatur; vel dum sibi videtur generatim loqui, alter, propter circumstantias, veniat in cognitionem peccatoris. Optimum igitur consilium est, vt Confessarius numquam temerè de rebus auditis in confessione loquatur, nec etiã vniuersè: Immo verò neque cùm ad petendum consilium dubia proponit, dicat se quidquam in confessione audiuisse; sed generatim postulet, quid agendum, si talis casus accideret, &c. Cùm autem petit à Prælatis facultatem absoluendi à casibus reseruatis, in genere (quàntum fieri potest) loquatur; ne dum incaute ad singulares circumstantias descendit, pœnitentis personam prodat. Prælati autem, dum ab eis petitur dicta licentia, intelligant se teneri ad seruandum sigillum eadem lege secreti; & caueant, ne vlla ratione in cognitionem delinquentis venire curent; neve tales ibi accidisse casus alijs reuelent; ne item ea notitia in alium finem vtantur, quàm in salutem spiritualem ipsius pœnitentis in foro conscientiæ seruato sigillo: hæc enim Dei iudicio reseruantur: quod is perperam vsurpat, & peruertit, qui conscientiæ forum cum exteriori permiscet. Quomodo autem pœnitentes teneantur seruare sigillum secreti, exponit Henriq. l.6.c.2.§.6.

Prælatus ad sigillũ quãdo teneatur.

14 Si posteaquam poenitens malè absolutus discessit, Confessarius animaduertit se errasse, quia scilicet illum iure absoluere non pote-

Quid agat si quẽ male absoluerit.

poterat, vel quia non obligauit ad debitam restitutionem, aut quia falsum consilium dedit, præsertim in præiudicium tertij, &c. consulat Doctores, & remedium, quod potest, adhibeat; vel denique Deo committat, & commendet. [Lege Ant.3.par. tit.17. cap.12. Nauar. cap 26. num.14. Suar. disp.32. sect.6.de poen. Henriq. lib.4.de sacram. cap.12.§.5. & lib. 6. cap.18. §.4.]

TRACTATVS SECVNDVS.

De iis, quæ præstare debet Confessarius cum hominibus cuiuscumque status, & conditionis.



Cap. Oĩs vtriusq. sexus. de pœn. & rem.

VM Confessarius, præsertim Curatus, pastor sit animarum, & spiritualis pater, ac medicus; eò totum studium, atque diligentiam conferre debet, vt animas sacramentis, verbo, & exemplo pascat; easq. ad spiritualem progressum instituat in omni genere virtutum, & infirmis medeatur; ita vt omnibus compatiendo, & se ipsum aptando, omnes ad Deum conuertat; illud recolens, quod *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via sua, saluabit animam eius à morte*, & cælum lætifi-

Cõfessarius zelum hãbeat.

Iacob. 5.

lætificabit; vbi magna est illi merces reposita. Quare ei curæ sit, magno zelo in dies, nouas animas ad Deum trahere; nihil enim egregium agit, si solos deuotos conseruat, qui ferè sua sponte perseuerant. [Lege Gregor. hom.6.in Matth. & l.3.dialog. c.17. & Chrys. homil.79. ad Populum.] Quocirca cùm multa, & varia sint hominum genera, neque eodem modo cum omnibus agendum sit; quid cum singulis efficere debeat, breuiter attingam.

De Dominis Temporalibus. Cap. I.

STudeat in primis, vt Domini intelligant, & animo sæpe reuoluant, non esse potestatem nisi à Deo, qui est *Rex Regum, & Dominus dominantium*; vt discant eum timere, *qui aufert spiritum principum*; totisq. viribus contendere, vt diuinam ipsius legem & ipsi perfectè obseruent, & ad eam obseruandam subditos verbo, & exemplo hortentur, ac poenis, cùm opus fuerit, coerceant; atque constanter statuant hanc vnam esse viam conseruandi perpetua dominia, si altissimi Dei legem rebus omnibus præferant, & pro eius gloria non solùm diuitias, & regna, sed vitam etiam profundere parati sint. Moneat item pro peccato vnius solere Deum in totam communitatem animaduertere, [vt patet Iosue 7. & obseruat Chrys. hom.6. ad Ephes. & hom. 1. in verba Isaiæ: *Vidi Dominum*. & D.August. super Iosue l.5.q.8.] Ad hæc superbiam ex eo-

Quid admonendi Dñi tẽporales. *Orig. ho. 11. in Exod. Greg. 24. mor. c. 15 & l. 17. c. 12. Pas. p. 2. c. 6.*

Eccl. 10. rum animis euellat, quæ *est initium omnis pec-*
1.Tim.6. *cati*; & auaritiam, quæ est *radix omnium ma-*
lorum: ne dum nimium sibi tribuunt, & per
fas, & nefas ditari contendunt, proprio pericu-
Dan.4. lo discant *quoniã dominatur excelsus regno ho-*
Psal.9. *minum*, qui *exaudit clamorem pauperum*; vt
& 21. Saul, Nabuchodonosor, Antiochus, & plerique
Sap. 6. alij exemplo sunt; *durissimum enim iudicium*
in ijs, qui præsunt, fiet. Atque vt ad singula
veniam, moneat, ne iniuste dominia quærant,
Orig. ho. vel bellũ sine causa legitima moueant; ne tri-
20. in buta iniusta exigant, vel cessante causa, prop-
Nu. Gre. ter quam imposita fuerunt. Item ne retineant
l.24.mo- seruorum mercedem; ne seruitia personarum,
ral. aut iumentorum iniustè extorqueant; ne vsur-
A quib⁹ pent bona communitatis, nec singulorum ci-
cauebũt. nium; neque eis damnum inferant, in vena-
tione præsertim, ædificijs, &c. neve cogant
subditos ad vendendum perperam res suas; nec
eos plus iusto grauent, sed benè tractent;
scientes, quid vtrorumque Dominus est in cælis,
& personarum acceptio non est apud eum,
[vt monet Apostolus ad Ephes. cap.6.] Item
ne iniustè condemnent, vel damnari aliquem
patiantur; nec compositionem reorum per-
mittant contra bonum commune, vel in præ-
iudicium partis, aut contra leges; ne mo-
nopolia exerceant; ne ineptis, vel impro-
bis officia distribuant, vel eos ad beneficia
ecclesiastica præsentent; ne Consiliarios, seu
Iudices corrumpant, aut corrumpi sinant mu-
neribus; ne officia vendant, quæ habent ad-
mistam administrationem iustitiæ; ne iniustas
leges

leges condant; ne permittant maleficia, vsuras, duella, vel peiora crimina, aut prauas consuetudines; ne desint officio suo in prouidendo bono communi, quoad victum, & defensionem necessariam; & propterea ne sint in rebus vanis, & sumptibus superfluis prodigi; ne subditos inuitos matrimonia contrahere cogant; ne contra immunitatem, aut libertatem ecclesiasticam quidquam agant; neque contra alias canonicas sanctiones. Postremò, vt suo munere tutiùs fungantur, si minus Congregationes Theologorum, & Canonistarum institue-re possunt pro rebus statuendis, quæ periculum animæ concernunt, consulant saltem in his peritiores; nam *Salus est, vbi multa consilia*; & *qui ea audit, est sapiens*; & denique comperta aliqua iniustitia, vel proximi damno, ipsorum culpa sequuto, ad restitutionem eos obliget. Huc igitur omnes conatus Confessarij Dominorum, & Principium intendant, vt diuinæ, & humanæ leges illis cordi sint: sic enim faciliùs fiet, vt deprauatos subditorum mores corrigant, totiq. consulant communitati. Atque has esse officij sui partes intelligat Confessarius: non autem se interponere in gubernatione Reipub. vel Regni. [Lege plura apud Bonau. Opusc. tom 2. in *Biblia pauperum*. c.102. Ant.p.3. tit.3.c.4.]

Peritos cõsulãt.

Prou. 11. *&* 12.

Cõfessarius in gubernatione se non ingerat.

De Episcopis, alijsq. Prælatis, & Parochis.
Cap. II.

Agat cum his Confessarius debita reuerentia, & modestia; cùmq. occasio feret, in- dicet.

Tol. l. 5. *c.* 4.

Munus Epi, ac Prælati. *Act.* 10.

dicet, quæ sint sui muneris. Est enim Episcopus Pastor ouium, & Rector Ecclesiæ, quam Christus Dominus acquisiuit sanguine suo; vt proptereà omnium virtutum splendore ornatus alijs lumen præferre debeat, ouesq. ex officio pascere sacramentis, verbo, & exemplo; de quibus copiosè sacri Canones, maximè autem Concil. Trident. [sess. 25. cap. 1. de reform. & alibi.] Ex quibus patet, primùm eum teneri de iure diuino ad personalem residentiam, eo modo, quo partim ipsi Canones, partim Doctores exponunt. Et item gregem sibi commissum, non seipsum pascere, [vt prosequitur Chrys. hom. 59. in Ioan.]

Quid teneatur pstare.

2 Quod tenetur subditorum delicta corrigere, non solùm paterna correptione, sed etiam iuridica inquisitione generali, & speciali, seruato ordine iuris vsque ad sententiam. Quanta autem fortitudine, & charitate hæc præstanda sint, optime exponit Greg. [lib. 20. mor. cap. 3. & 8. item lib. 9. cap. 22. & hom. 19. & 21. in Ezech. & alibi. Chrys. hom. 3. in 1. ad Cor. & 32. Bern. serm. 23. & 42. in Cant.] Præterea discordes inter se conciliare [vt Greg. l. 24. moral c. 10 & hom. 11. in Ezech. Past. p. 2 c 4.] Et item inuigilare, *tamquam rationem pro illis redditurus*, [de quo Orig. homil. 20. in Num. Greg 24. mor. c. 16.]

Heb. 13.

3 Ordines per seipsum conferre, cùm potest, solis dignis, & ecclesiastica beneficia iuxta Canones; atque propterea, cùm opus fuerit, vtatur opera Examinatorum, quos instituet idoneos, iuxta decretum Concil. Trident. [sess.

[sess.24. cap.18. de reform]

4 Potest, quæ spectant ad iurisdictionem, committere etiam ijs, qui non sunt Episcopi: quæ autem pertinent ad Ordinem, solis Episcopis.

5 Consecrare loca, & vasa sacra, & virgines, &c.

6 Tenentur interesse diuinis officijs, saltem diebus Dominicis. [cap. *Episcopus.* de cons. d.3. & ibi Glos.]

7 Prædicare per se, vel instituere idoneos prædicatores.

8 Celebrare Synodum in singulos annos; & ad Concilium Prouinciale statuto tempore accedere. *Concil. Trid. ses. 24. ca. 2. de refor.*

9 Prouidere de idoneis ministris, Vicario, Oeconomo, Notario, & de idoneis Theologis, & Canonistis, qui à consilio illi sint in rebus grauioribus.

10 Singulis annis Chrisma conficere.

11 Redditus superfluos Ecclesiæ, & pauperibus distribuere, idest, honesto tantum victu sibi reseruato.

12 Magistros aptos instituere, qui in sua Ecclesia necessaria doceant: nam Prælatus est veluti magister subditorum. Bernard. serm 23. in Cant.

13 Visitare limina Apostolorum Petri, & Pauli in Vrbe Romana, iuxta Constitutionem Sixti Quinti, quæ incipit, *Romanus Pontifex.*

14 Visitare Dioecesim iuxta decretum Conc. Trid.

15 Inuestigare, an impleta sint testamẽta.

3. cap. Si haeredes de testa. 16 Excommunicationes non leuiter decernere, [vt Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reform.]

17 Si est Religiosus, substantialia Religionis suæ, quæ non repugnant muneri Episcopali, seruare tenetur.

18 Moneat, vt in regimine non cuique facilè credat, nam *Qui cito credit, leuis est corde*. Item quod *Vtrumque vitium est, & omnibus credere, & nulli*, vt ait Senec. [Lege Greg. 9. moral. c. 14. & Bern. *l. 2. de consid. ad Eugen.*]

Eccl. 19.

Postremò si non potest officio suo debito satisfacere cum dignitate, & fructu animarum, renunciare tenetur; [vt constat ex cap. *Iam pridem.* de renunt. & Doctores docent.] Ex his patet maxime periculosum esse statum Prælatorum, & illum ambire perniciosum: Quare Chrys. hom. 3. in Acta sic ait: *Non arbitror inter Episcopos multos esse, qui salui fiant, sed multos, qui pereant: qui sæpe non damnantur propriis peccatis, sed alienis, quæ non curauerunt.* Et Greg. Past. p. 3. adm. 5. *Prælatus*, inquit, *peccans tot mortibus dignus est, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittit. Vnde tanto cautius debet se à peccato custodire, quanto peccando non solus tantum moritur, sed omnium animarum, quas prauis exemplis destruit, reus est.* [Lege etiam Bern. epist. 42.] Hæc tamen eo tendere intelligamus, ne scilicet Prælaturas ambiamus; & ne Prælati, quibus tantum onus impositum est, suis viribus se illud sustinere posse præsumant; sed Dei potissimùm ope nitantur,

Periculũ ambientiũ Prælaturã.

tur,

tur; eiq. in primis placere ſtudeant; vt ab eodem confortati omnia poſſint. [Lege de his plura in Paſt. Greg. par. 1. cap.10. & par. 2. c. 2. & par. 3. adm. 4. & lib. 2. in 1. reg. cap. 2. & l. 5. moral. c. 8. & l. 24 c. 14. Chryſ. hom. 59. in Ioan. & 57. in Gen. Hieron. l. 11. in Ezec. 34. Bern. epiſt. 236. & ſeq. & 201. & ſerm. *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Item Can. *In Scripturis*. Can. *Qui Epiſcopatum*. 8. q. 1. D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 2. Ant. 3. p. tit. 19. & 20. Silueſt. V. *Epiſcopus*. q 3. Bonau Opuſc. to. 1. in Pharetræ l. 1. c. 11. 12. 19. & to 3. Opuſc. *De ſex alis Seraphim*.] Atqui Parochus, & alij Curati, cùm ſint coadiutores Epiſcoporum, tenentur ordines canonicè ſuſcipere, & fidei profeſſionem emittere. Item reſidere iuxta decreta Conc. Trid. populo prædicare, & Chriſtianam doctrinam docere, ſacramenta miniſtrare, S. Euchariſtiæ ſacramentum decenter aſſeruare, & ſtato tempore renouare recentes hoſtias conſecrando, iuxta Rituale Romanum: Miſſam celebrare, ſaltem diebus feſtis; corripere peccatores, vel Epiſcopo denunciare cùm publici ſunt, & incorrigibiles; infirmos Parochianos viſitare, & exhortatione, ac ſacramentis conſolari; animas agonizantes adiuuare; & ad id legant Methodum Polanci, ad eos iuuandos, qui moriuntur, editam. Studere item caſibus conſcientiæ, vt hæc rite præſtare poſſint; ſepelire mortuos ſine auaritiæ, vel ſimoniæ nota; omnes denique oratione aſſidua ſubleuare: obſeruent tamen in his Rituale Romanum. Et qui ſine ſpe emendationis populo ſcanda-

Auctores Prælato conſulendi.

Parochorum obligatio.

lum præbent, vel poenitentes seducunt, cogendi sunt resignare beneficium; vt patet ex dictis. Hæc satis, nam reliqua dicemus cap. sequenti.

De Sacerdotibus, & alijs Clericis.
Cap. III.

Sacerdotij præstantia. MOneat Clericos, vt suæ dignitatis memores, assiduè meditentur, se in partem sortis Sanctorum vocatos; ac propterea veluti à ceteris hominibus separatos viuere debere;

Leu.3. & magis quàm olim filios Leui à reliquis tribubus, cùm ad maiora sint vocati: & verò etiã sanctos eos esse oportere; nam *Sancti*, inquit

Ibid. 11. Dominus, *estote, quia ego sanctus sum*: & Matth. 5. lux mundi, & sal terræ dicuntur; propterea quòd eorum munus est fideles doctrina, & moribus illuminare, & spiritus sapore condire. Ex quo intelligitur, quanta virtute prælucere alijs teneantur; humilitate præsertim, obedientia, reuerentia, studio orationis, Fide, Spe, Charitate, & Castitate, de quibus sigillatim aliqua attingam.

1 Humilitate excellat ad exemplum Bea-

Luc.1. Humilitas, & mansuetudo. tæ Virginis; quæ Dei mater electa ancillam se Domini vocauit, iuxta consilium Sapientis; *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*. Immo Saluator ipse noster, & Dominus antequam discipulos

Eccl.3. Sacerdotes crearet, eorum pedes lauit, idemq.

Mat. 11. vt alijs facerent, ipsis præcepit. Et Matth. 11.

Ioan.13. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis*

lis corde. Hanc igitur Domini humilitatem, & mansuetudinem non solùm in Sacramentis administrandis, sed in omnibus etiam suis actionibus Sacerdos imitetur; atque maximè cùm proximum corripit: debet enim instruere vt fratrem, *in spiritu lenitatis*, considerans seipsum, ne similiter tentetur; item quia *lingua mollis confringet duritiam*. Prou. 25. [Lege Aug. Solil. c. 15, Chrys. hom. 3. de Dauid, & Saule, & hom. 6. in Acta, & hom. 62. in Matth. Greg. item l. 5. moral. c. 31. & l. 9. cap. 22.] *Ad Gal. 6.*

2 Deinde in obedientia excellat necesse est, cùm minister sit Christi Domini, qui pro nobis *factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*; & item, *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me Patris*; & Luc. 2. habetur, *& erat subditus illis*; Ita nos Christum induentes, non solùm Deo, & superioribus, quos tamquam eius Vicarios suspicere oportet, sed etiam inferioribus pro diuina ipsius gloria obedire parati simus: tum quia id ei pro immensa sua maiestate, & innumeris erga nos beneficijs debetur; tum vt vel sic de nostra deprauata voluntate vindictam sumamus, quæ aliquando à voluntate diuina peccando recessit: tum quia Saluatoris sententia est, *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*; tum denique, *quoniam omnia seruiunt ei*, etiam Angeli; *Omnes enim sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*: Immo verò ipsa Virgo Deipara *beata est*, *non*

Obedientia. *Ad Phil. 2.* *Ioan. 5.* *Luc. 10.* *Heb. 1.*

quia

quia in ea Verbum caro factum est; *sed quia obediens custodiuit Verbum, per quod facta est*; vt Dominus ipse testatur, cùm ait: *Quinimmo*
Luc. 11. *beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud*, & explicatè docet D. Aug. tract. 10. in Ioann. Dicamus igitur ex animo cum Prophe-
Psal. 61. ta, *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum*.

Reuerētia in faciēdo sacro. 3 Reuerentia, & timore muniatur Sacerdos; vt dignè accedat ad altare, quod meritò sanctum, & tremendum antiqui Patres nominarunt: tempore enim consecrationis, veluti in
Cap. Retulerunt. de cons. d. 2. vtero Virginis, in manibus Sacerdotum incarnari Christum asserit Diuus Greg. [vt refert Gabr. Biel. in canon. Missæ. lect. 4.] Quapropter sibi dictum arbitretur, *Solue calceamenta de*
Dionys. c. 5. Eccl. Hierar. *pedibus tuis*, idest peccata, carnalesq. affectus depone; *locus enim, in quo stas, terra sancta est*,
Exod. 3. Nam cùm diuinum Missæ conficit mysterium, innumeri Angelorum chori trementes adstant;
Orig. ho. 1. in lib. Reg. quos si conspicere illi daretur, multò magis, quàm olim puer Elisei, obstupesceret; & non tam audaciter diuina contrectaret: sed maxi-
Chrys. l. 6 de Sacer. & hom. 61. ad popul. mè admirans exclamaret, *vnde hoc mihi*, vt veniat Dominus meus ad me indignissimum? immò etiam vt detur mihi eum tangere, Deo Patri offerre, comedere, alijsq. porrigere?
Greg. 4. dial. cap. 58. ac Petrum imitans rogaret, *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine*. Atque ita nimia familiaritas cum Deo non contemptum, vt ac-
Luc. 1. cidit inter homines, sed obseruantiam, & amo-
Ibid. 5. rem pareret. Et mens ad solis iustitiæ aspectum vehementer illustrata, diuinaq. luci quasi im-

mersa,

mersa, omnia terrena despiceret, fulguremque cælestem facile cum alijs communicaret.

4 Præfulgeant oportet Sacerdotes Orationis assiduę dono, qua pro suo debito officio Deũ placare, ab eoque bona omnia impetrare possint; cum mediatores sint pro mundo apud Deum constituti, vt Moyses pro Hebræis: & quasi murus; quoniam se inter Deum, & homines interponunt, ne cælestibus diuinæ iræ iaculis pereant. Quocirca dicuntur oculi Ecclesiæ; vt mala videntes lugeant pro peccatis ad Dominum cum lacrymis, & gemitibus; tantoque feruore id faciant, vt Deum flectentes toti mundo prosint; [vt docet D. Basil.] Denique sicut Aaron pro populo Israel, *proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans restitit iræ, & finem imposuit necessitati*; ita Sacerdos orans, & offerens nomine Ecclesiæ sacrificium incruentũ passionis Christi Domini, eiusque orationem Deo Patri, eum placat, & propitium peccatoribus reddit. Quod si *multum valet deprecatio vnius iusti assidua*, quid non obtinerent tam multi Sacerdotes, quibus gloriatur Ecclesia, si deuotę orarent, & ritè Missæ sacrificium offerent?

Orationis studiũ, & assiduitas.

Deut. 9.

Ezec. 14.

Sap. 18.
Nu. 16.

Iacob 5.

5 Fide viua eminere debent, sine qua *impossibile est placere Deo*, cùm ea sit Christianæ vitæ fundamentum: vt alios docere possint, & contradicentes arguere; quod est præcipuũ munus Sacerdotis. Idq. figuratum Num. 10. cùm filios Aaron tubis clangere in bello Dominus iussit: prætерea, quoniam *Hæc est victoria,*

Fides viua.
Ad Heb. 4. & 11.
Malac. 4
1. Pet. 3.
Iacob. 5.

ria, quæ vincit mundum fides nostra; item quia *est substantia rerum sperandarum*, illaq. resistimus Diabolo, & disponimur ad Spiritum sanctum recipiendum: ait enim Dominus, *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*. Denique, vt *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, &c* ita nos per fidem viuam bona omnia assequimur.

Ad Heb. 11. *1. Pet. 5.* *Ioan. 7.* *Ad Heb. 11.*

Spes, ac fiducia in Deũ.

6 Spes etiam, & fiducia magna in Sacerdote requiritur, cum qua qui orat, impetrat à Deo, [vt patet Mar. c. 9. & 11. Luc. 17. Mat. 8. & 9. & Iac. 1.] Hanc autem fiduciam in sacro Missæ præ se fert Sacerdos, dum stat ceteris prostratis, tanquam Orator, seu Legatus populi, fiducialiter agens cum Deo causam illius. Ad hanc autem firmam spem adducimur Domini nostri liberalitate, & promissis; & propterea quòd importunè iubet petere: non enim ita petere iuberet, si nollet petita concedere; dummodo in nomine ipsius omnia petamus; quoniam *Dat omnibus affluenter, & non improperat*; tum quia *Diues est in omnes, qui inuocant illum*; & *Potens est omnia facere superabũdanter, quàm petimus, aut intelligimus*; tum denique quòd Sacerdos dum in Missa orat, offert rem maiorem, quàm sit quidquid præter Deum petitur, nempè Christum Dominum, filium eius dilectum, in sacrificium: vt propterea maxima fiducia sperare à Deo omnia meritò possit, ac debeat. *Adeamus* ergo (vt monet Apostolus) *cum fiducia ad thronum gratiæ eius; vt misericordiam consequamur, & gratiam*

Luc. 2. *Iacob 1.* *Rom 10.* *Ad Eph. 3.* *Ad Heb. 4.*

tiam inueniamus in auxilio opportuno.

7 Quanta autem charitate ardere deceat Sacerdotes, vel ex eo maximè patet, quod vicem eius gerunt, qui animam suam posuit pro ouibus suis, in Cruce sanguinem profundendo; nec Petro sui chari gregis curam anteà commisit, quam ter rogatus, se cum amare testatus sit. Apostolis item dixit, *Hoc est praeceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos:* nimirum amore puro amicitiæ: item non ex debito, neque spe alicuius caducæ vtilitatis, vel terrenæ retributionis: quapropter præceptum nouum vocauit; & in eo solum discipulos eius nos esse, dignosci voluit, scilicet si dilectionem adinuicem habuerimus. Atqui sine charitate si omnia sciamus, si reliqua omnia efficiamus, nihil sumus, nihilque nobis prodest: at verò qui hanc habet, totam legem implet; propterea meritò aurum ignitũ vocatur, Apoc. 3. & figuratur in auro templi Salomonis, & in veste Aaron bis tincta Exod. 28. & in perpetuo illo igne, quem semper ardere in altari Dominus iussit Leu. 6. & hunc offerri tantum, non alienum, nisi perire quis velit cum Nadab, & Abiu. Leu. 10. & ad illum accendendum se venisse Dominus testatur, dicens Luc. 12. *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* Declaramus autem illum in nobis esse, non verbis, sed opere, & veritate, id est operibus misericordiæ corporalibus, & spiritualibus: *Qui enim verè proximum, sicut se ipsum, amat, intra propria viscera, si posset, omnes includeret*, vt ait S. Macarius; nec gloriam sibi,

Charitas in Deũ, ac proxĩmum.

Ioan. 21.

Chrysost. ho. 71. in Io.

Ioan. 13.

1. Cor. 13.

Rom. 13.

3. Reg. 6.

Orig. in Leu. ho. 9

Gregor. 33. mor. c. 3. & l. 9. c. 22. Past. p 3. adm. 10.

Ioan. 1.

Chry. ho. 1. in Ma.

Ho. 18.

ſibi, ſed vni Deo ex animarum conuerſione quæreret; ſicq. omnis æmulatio, atque inuidia
1. Cor. 13 ceſſaret; *charitas* enim *non æmulatur*; dummodo namque animæ ſaluentur, ſiue ſuæ, ſiue aliorum induſtriæ tribuatur, nihil laboraret: vt rectè proſequitur Chryſ. [hom. 13. ſuper primam ad Timot. & hom. 2. ad Tit.] Atque hic quidem amor habet maiorem vim ad liberandas animas à morte peccati, quàm zelus, & ſeueritas correptionis. Quod optimè per figuram explicatur 4. Reg. 4. vbi puer, qui virga ſuſcitari non potuit, amplexu Eliſei ſuſcitatur; vt notauit Greg 9. moral. cap 22. Cum ergo nobis diuina miſericordia animas ligandi, atque ſoluendi poteſtas collata ſit, oēs ad pœnitentiam enixè hortemur: vt à peccatis ſolutas creatori ſuo reddamus: cumq. Chriſtus Dominus in ſignum ſui immenſi in Eccleſiam
Mal. 1. amoris inſtituerit Euchariſtiam, vt eſſet ei ci-
4. Reg. 19 bus vitæ, dum hic peregrinatur; conſtituti qua-
Leu. 14. ſi Angeli Dei, fratres noſtros à ſomno excite-
Caſtitas mus, vt reficiantur: grandis enim illis reſtat
Sacerdotis. via. Et item vt fideles miniſtri exeuntes in vias, & ſepes, omnes ad diuinum hoc conuiuium intrare compellamus; vt tandem ad cæleſte ſimul introducamur.

Leu. 6. 8. & 12. Orig. ho. 6 & 7. in Leu. Greg. Paſ. p. 1. c. 11. et p. 2. c. 2 & 3. & 7

8 De Caſtitate denique Sacerdotum, quæ figuratur in cingulo Pontificis, & in feminalibus ſecundum Origenem, vt paucis multa complectar, illis opus eſſe affirmo puritate Angelorum; vel ſaltem vt eam pro ſua virili imitari conentur; quod Sacerdos fungatur munere tam ſublimi, quod nec Angelis ipſis concessum

cessum est. Sacrum igitur Missæ facturus, quis non omnibus artubus contremiscat? si enim lege veteri arcebantur ab altari immundi, & Isai. 52. *Mundamini*, inquit, *qui fertis vasa Domini*, quid in lege noua requiri censebimus, in qua offertur ipse filius Dei in sacrificium, per antiqua illa sacrificia figuratū? Quòd si Oza minus reuerenter arcam Testamenti olim tangens perijt, quid agetur cum Sacerdote, qui sacrilegis manibus audet tangere sanctum Sanctorum? *Iudicium* vtique *sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*; & subditur, *Ideo inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi*, idest, pereunt, quia scilicet filium Dei conculcant, & sanguinem Testamenti pollutum ducunt. Maximis itaque supplicijs punitos semper fuisse à Deo luxuriosos constat, quòd suæ dignitatis obliti, similes bestijs efficiantur; & coelestibus delicijs contemptis amplexentur stercora: longè tamen maiora tormenta parata sunt Sacerdotibus impudicis, vt tradit D. Hieron. & Greg. quia nempe in tanta diuinorum charismatum copia, & consuetudine cum Deo, post solenne votum castitatis, in rem tam vilem seipsos abijciant: vt eorum causa, diuina mysteria ludibrio sint infidelibus, & ab ipsis etiam fidelibus parui fiant, vt experientia compertum est, & D. Ambros. testatur. Immo faciunt, vt hi audaciùs in peccatorum sordibus iaceant, videlicet Clericorum mores imitati, quos tamen virtutum duces, & magistros esse oportet. Verumtamen tales audiant Iudicis minas,

Chrysost. hom. 61. ad pop. & 23. ad Ephes.
Chrys. in epist. ad Gal. c. 1.
& Glo. 2. Reg. c. 6.
1. Cor. 11
Pœna Sacerdotis impuri.
Heb. 10.
Hier. 4.
Orig. hō. 3. in Leu. & 20. in Num.
Grego. 3. mor. c. 6.
Chrys. in Psal. 43.
Basil. in reg. bre.
Grego. 4. Dialo. c. 32.

Mat.18. Mar.10. Luc.17. *Væ homini illi per quem scandalum venit: expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* [Lege plura apud Orig. hom.9. in Exo. hom.16. in Gen. hom.25. in Num. & 7. in Leu. Gregor. Past. p. 2. c.2. & 3. & p.3. adm. 36. & hom. 7. in Ezech. Chrys. hom.37 & 39. in 1. Cor. Bon. Opusc. lib.1. Pharetræ c. 20. & 21. Anton. 3.p. tit.7. & alibi.]

Sacerdotalis status pericula.

9 Hæc si homines considerarent, non tam audacter ad Sacerdotium properarent; sed secum rectè primum deputarent, an ad tantæ molis celsitudinem sufficiant vires, iuxta Domini consilium Luc. 14. ne ab ipsis etiam dæmonibus derideantur, si in medio cursu deficiant. Adde quod multi ad hanc dignitatem non accederent, nisi vocati *tanquam Aaron*; immò verò multi refugerent, eos imitati, qui cùm essent omnium virtutum præsidio muniti, à Sacerdotio tamen abstinuerunt, vt Diuus Franciscus, & plerique alij, indignos se tanto munere iudicantes. Heb.5.

10 Ij verò, qui indignè iam ad huius celsitudinis gradum se conscendisse agnoscunt; virtute, & rectè factis insciriam, erroremq. compensare nitantur; &, si opus fuerit, dispensationem petant à Sede Apostolica; atque se totos dent operibus misericordiæ, & pœnitentiæ: attamen discant saltem, quæ necessaria sunt ad rectè dicendum sacrum Missæ, & Horas canonicas; ad docendum rudes doctrinam Christianam; assiduisq. precationibus, & meditationibus, cum continua mortificatione

con-

coniunctis, ita Deo placere, & coram eo versari studeant, vt spiritus eius feruore concepto alios ædificent, & ad meliorem frugem saltem exemplo adducant. Ex his facilè Confessarius colliget, quomodo clericos adiuuare possit.

11 Videre enim oportet in primis, an dent scandalum sæcularibus, non solùm agendo, quæ praua sunt, sed etiam quæ speciem habent mali; vt monet Apostolus. Item an canonicè sint ordinati; an sint irretiti aliqua cẽsura, vel eam violauerint; aut alia de causa sint irregulares; an habitum, & tonsuram gerant clericalem; an negocijs sæcularibus, vel prohibitis se immisceant; an ludos, & choreas sectentur; an actus ordinis benè exerceant; an verò cum peccati mortalis conscientia sine contritione; an Missam celebrent saltem præcipuis anni festis: & an rectè iuxta rubricas Missalis, cum vino recenti, & reliquis requisitis; an pro vna Missa capiant duas, (vt vocant,) pitantias, seu duas solitas eleemosynas, aut plures; an Sacramenta ritè ministrent; an cum vasis, ac paramentis mundis; an horas Canonicas recitent sicut oportet, hoc est, sensibili voce, attentè, & deuotè: an in Choro cantent, qui tenentur, deuotè, & attentè; an simoniam commiserint, in ordine præsertim, & beneficio Ecclesiastico; an pro exequijs Defunctorum eleemosynam vel nimiam, vel cum scandalo exigant; an confessionis sigillum perfectè seruauerint; & confessiones attentè audiuerint; an omiserint necessarias interrogationes; an rogauerint cu-

De quib⁹ interrogandi Sacerdotes.

1. Thes. 5
Naua. c. 25. n. 110
Cõc. Trid. ses. 22. de refor. c. 1

riosa; an aliquem perperam absoluerint; an scandalum præbuerint in confessione; an prædicent vana, iocosa, vel indulgentias falsas; an sine licentia, vel in peccato mortali; an familiaritatem habeant suspectam; an benè dispensent redditus Ecclesiasticos; an habeant plura beneficia contra Canones; an acceperint beneficia sine animo perseuerandi in clericatu, vel cura; an res Ecclesiæ alienauerint contra Canones; an cùm non fecerunt fructus suos, illos restituerint; an, qui est addictus seruitio Ecclesiæ, ei seruiat; an qui non est Sacerdos sumat sæpe Eucharistiam; an impedierint aliquem a consecutione beneficij; an induxerint ad iurandum pro sepultura; an dederint, vel promiserint aliquid pro gratia, vel iustitia impetranda à Sede Apostolica; an Canones, Constitutiones Apostolicas, & diœcesanas obseruent; an studeant casibus conscientiæ, & cōputo Ecclesiastico; an bene sciant, & obseruent rubricas Breuiarij, & Missalis. Præterea moneat, vt quotidie vacent orationi mentali; sine qua vix quisquam deuotus esse potest. Item, vt legant sacram scripturam, & alios libros spirituales; [de cuius lectionis fructu lege Orig. homil. 8. in Leu. Ephræm. tom. 1. *serm. de patientia, & consummatione sæculi.* Greg.hom.15. in Ezech.] Moneat denique, vt ita se in verbis, & factis gerant, *sicut decet Dei ministros; vt non vituperetur ministerium nostrum.* Quare instituant sæpe sermonem de rebus spiritualibus; atque illam D. Bernardi sententiam meditentur, quam scribit l.2. de consid.

Tol. l. 1. c. 36.

De quibus à cōfessario admonēdi.

Lib. 2. tr. 1. c. 10.

1. Pet. 4.

ad Eugen. *Nugæ*, inquiens, *sint longè ab ore tuo; nam inter sæculares nugæ sunt nugæ; in ore Sacerdotis blasphemiæ; interdum, si incidant, ferendæ fortasse, referendæ numquam: consecrasti os tuum Euangelio, talibus iam illud aperire illicitum, assuescere sacrilegum est.* Hactenus Bernar. Nos autem de his pluribus. tract. 3. cap. 7.

De Religiosis. Cap. IV.

QVi Religiosorum confessiones audit, obtenta superiorum licentia; moneat, vt quæ de clericorum officio iam diximus, sibi etiam dicta esse putent. præterea, vt vota essentialia Religionis perfectè obseruare nitantur; id est Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, aliasq. sui ordinis regulas; sintque in primis diligentes in diuino Officio persoluendo, alijsque orationibus suo loco, & tempore. Curetque maxime, vt intelligant non mereri nomen Religiosi, qui quotidie non vacat orationi mentali; & tam diu nō meditatur diuina mysteria, & beneficia, quamdiu per sui ordinis constitutiones, & superiorum faculta[illegible] licet; anima enim dum eleuatur ad Deu[illegible]ficitur: propterea Dauid, *Ad te*, inquit, *Domine, leuaui animam meam.* Moneat item, vt ad sacramenta suscipienda, vel ad Missam dicendam se rite præparent; & in studia litterarum diligenter incumbant, quæ ad suum munus rectè fungendum opus esse intellexerint; ita tamen vt lectio librorum spiritualium illis cordi sit, [de

Quomodo admonēdi Religiosi.

Caiet. 2. 2. *q.* 82. *art.* 3.

Psal. 24. *& ibid. Aug.*

Quomodo admonēdi Cōcionatores. qua nos lib.2. tract.1. c.10.] Ad hæc curet, vt Concionatores non se ipsos, sed Christum prædicent; id est non propriam, sed Dei gloriam quærant, & animarum salutem; quæ res *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione Spiritus, & virtutis* consistit. Qui 1. Cor.2. enim non filios Deo gignere, sed suam scientiam cupit ostentare, *adulterare* dicitur *ver-* 2. Cor.2. *bum Dei: Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis, quàm generationi operam impendit*, vt Greg. [in Pastor.par.3. adm.25. & in lib.22.moral.c.16. Anselm. super 2.Cor.cap.2.] Idcirco Euseb. Emiss. comparat prædicatores retibus; quia scilicet nisi homines capiant, inutiles sunt. Propterea non cessent hortari, etiam si non sperant fructum; [Vt Chrys. hom 61. in Matth.] Item insistant vt Medici, vt Piscatores, vt Agricolæ. [Chrys. hom.6. in 2. ad Tim. & Hom. 10. in Epist. ad Hebr.] vt vnum saltem conuertant. [Idem hom.3. in Ep.1. ad Cor.] Prædicent denique non solum verbis, sed etiam factis. [Chrys. ibid.] Atque hoc quidem spiritu afflati olim sancti Dei, cùm pauci essent, innumeros homines conuerterunt; nunc autem eo spiritu vel destituti, vel non ita pl[illegible] si multi sunt, tamen parum proficiunt; [vt prosequitur Chrys. hom.44. in Matth. & hom.6. in Epist. ad Ephes.] [Alia verò multa pro côcionatoribus iuuandis, lege apud Orig. hom.6. & 11. in Num. & ho. 16. in Leuit. & Greg. locis paulò ante notatis, & Past.par.4. & lib.19. moral.cap.5. & lib.21. cap.8. & lib. 26. cap.5. Chrysost. serm.1. in

Lucam:

Lucam: Bedam in Lucæ cap. 9. Bonauent. Opusc. tom. 1. in Pharetr. lib. 1. cap. 14. & 15. Ant. 3. par. tit. 18.] Caueant insuper, ne in concionibus detrahant Prælatis Ecclesiæ, vel Sacerdotibus; neve de Conceptione Beatæ Virginis disputent contra Constitutionem Pij V.

Chrys. ho. 1. ad Tit.

Admoniones ꝑ Religiosis, & eorum obligatio.

Præterea si quem forte Religiosum reperit, qui praua intentione ingressus est Religionem, aut non satis recta voluntate; vt eam rectificet, suadeat: illum, qui impedimenta reticuit in examine, quæ sunt contra commune bonum Religionis, ne absoluat; nisi reuelare statuat, vel ad dispensationem recurrere. Si quis eorum vouit ad arctiorem Religionem se conferre, votum seruet, vel Prælatos consulat, aut Sedem Apostolicam: Moneat etiam, ne quempiam à meliore Religione eligenda auertant; ne inordinato affectu ducantur erga consanguineos, amicos, vel erga res temporales; ne anima terreno amore repleta, Deum capere non possit; & Dei non plena, oneri sibi sit; quod quantum habeat momenti ad Religiosi perfectionem, lege apud August. tract. 4. in epist. B. Ioan. *Exinani*, inquit, *quod implendum est; bono implendus es, funde malum*. [lege etiam Cassian. lib. 2. Instit. cap. 36. & collat. 24. cap. 11. Basil. Constit. Monac. cap. 21. Chrys. hom. 69. in Matth.] Item dum alios iuuant, ne deserant se ipsos; [vt monet D. Greg. 27. moral. cap. 27. Cassian. collat. 24. cap. 11.] Moneat quoque, ne indignos eligant ad prælaturas: immo eos teneri eligere aptiores, & seniores, non ætate, sed moribus; [vt docet Greg. lib.

19. moral. c.11. Chrysost. in argumento epist. ad Timoth.] Item ne temere habitum dimittat; ne deprauatis moribus alijs scandalo sint; Deus enim non irridetur; sed audiant August.
Epi.137. ad Plebē Hipponē. qui ait: *Ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasterio profecerunt; ita non sum expertus peiores, quam qui in monasterijs ceciderunt.* hæc ille. Quare aptari illis potest visio Hierem. c.24. qua vidit *ficus bonas, bonas valde, & malas, malas valde.* idem fere Cassi. collat.4.c.19. scilicet Religiosos malos peiores esse sæcularibus. Moneat præterea, ne plura talenta habere optent; sed vt iam data bene exerceant, ne forte auferantur; [vt exponit Chrys. hom. 2. 3. & 30. ad Hebr.] Item moneat, ne tempus in otio, vel detractionibus conterant, curiosa, vel inutilia sectando; ne forte dum
Eccle.19. spernunt modica paulatim decidant; vt domus, quæ vetustate collabitur, nisi renouetur, [vt Greg.lib.10. moral.cap.9. & Cassian.coll. 6.cap.vltim.] Item ne sæcularibus negotijs se implicent; vt monet Apostolus [2. Tim. 1. & exponit Greg. in Past. par. 2. cap. 7.] Adhæc ne exteriorem disciplinam negligant; [vt Basil. in epistola ad Canonicam;] immo viliora exercitia ad Christi imitationem libenter obeant; [vt Basil. Const. monast. cap. 24. docet, & de Malachia refert Ber. in eius vita. cap.6. vt alios taceam.] Hinc idem Bernar. epist. 321. *Sollicciti*, inquit, *circa custodiam ordinis, vt ordo ipse custodiat vos.* Postremo optimum consilium est, vt Religiosi sæpe secum deputent,
an

an in virtute proficiant, an vero deficiant; vt enim corpore senescimus, nec aduertimus, sic etiam spiritu, [vt docet Greg. l.25. moral. cap.6. Lege de his Doroti. serm.10. Mac.hom. 19. & 31. & 49.] Tenentur enim adhibere studium ad perfectionem consequendā; & cùm contemnunt ad perfectionem tendere, peccant, [vt docet D.Thom. 2. 2. quæst. 186. art.2. ad primum,& alibi.Sylu.V. Religio 1.quæst. 3. & alij communiter.] Quapropter expedit, vt singulis saltem annis secedant, & vacent à negocijs, & plus solito rebus spiritualibus aliquando incumbant, [vt suadet Basil.Const.monast. cap.5.Greg. Past.par.2.cap.3.& lib.25.moral. c.6. & lib.29.cap.12.August.lib. 10. Confess. c. 40. Bern.lib.1.& 2.de considerat.Beda in Luc. 9. & nos l.2.tract.2. cap. 20. Plura ad iuuandos Religiosos lege apud Orig. hom. vnica in lib.reg. & hom.9. in Num. Item Greg. lib. 25. moral.cap.16.& 30. moral.cap.27.& Past. par.2. cap.5. & par.3. adm.26. Chrysost. hom. 17. 69. 70. in Matth. & hom. 3. in primam ad Timot.& hom.2.ad Tit. Cassian. lib.12.Instit. cap. 15. & alibi, & denique Ephræm, Cassianum, Macarium, Dorotheum, & Climacum, Bonauen. Opusc. tom.1. in *Pharetra* lib.1.cap. 27.28.29.31.& 32. & *in Dieta salutis* tit. 4. & in tom. 2. *de profectu Religiosorum*, & alibi, Anton.par.3.tit.16.Basil.Bernar. Hieron. Platum. & alios similes.]

Tenetur ad perfectionem tendere.

Auctores p uādis Religiosis consulēdi.

De

De Monialibus. Cap. V.

QVi Monialium confessiones audit, hortetur eas ad perfectam votorum, & regularum suarum obseruationem; & ad diuinum officium in Choro persoluendum, nisi ex causa legitima excusentur: item ne tamquam proprium quidquam possideant, contra votũ Paupertatis. Curet præterea, vt ad sacramenta Confessionis, & Communionis deuotè stato tẽpore accedant; in sua vocatione constanter maneant; & sint obedientes suis Superioribus; & inter se mutua charitate concordes: in electione Abbatissæ, vt suffragentur aptiori. Item ne cum sæcularibus nimis sæpe agant, vana præsertim, & curiosa inuestigando: ad hæc, exteriorem ornatum omnino detestantes, suo sponso Christo intus placere omni conatu studeant; libros spirituales tantum legant; & meditationi passionis Christi Domini, aliorumque mysteriorum se totas dent; vt spiritualibus delicijs gustatis, desipiant illis mundi oblectamenta; cumque optimam partem elegerint, beneficium agnoscant, Deoq. optimo acceptum referant. Sunt enim sub peculiari Christi, & Beatæ Virginis protectione, à mundi periculis ereptæ: vt meritò bysso, & cocco tabernaculi à D. Gregorio conferantur, lib. 25. mor. cap. 16. Quare nitendum maximè illis est, vt in humilitate in dies proficiant: nam *Laudabilis est virginitas, sed magis necessaria humilitas*; vt Bern. hom. 1. super *Missus est*. In charitate

item,

item, puritate, patientia, reliquisq. virtutibus ad cælestes, & æternas delicias aspirent, oleum tamen misericordiæ semper secum habentes: *vt cùm venerit Sponsus intrent cum eo ad nuptias*, à quibus fatuæ pelluntur: quia nimirum *maiore luctatore prostrato*, idest carnis tentationibus superatis, *à minore victæ sunt*, vt explicate prosequitur D. Cypr. [l. de habit. Virg. in fine, & Chrys. hom. 79. in Matth. & hom. 23. in 2. ad Cor.] Postremò quid consilij dandum sit in consecratione earum, quæ iam virginitatem amiserunt, vide apud Henriq. [lib. 10. de ord. cap. 24.] nos enim ad alia properamus. [Lege plura apud D. Bonauent. *Pharetr.* lib. 1. cap. 37. & in Opusc. *de perfectione vitæ ad sorores*, & similia eius opuscula. Anton. 3. par. tit. 2. cap. 1. & 2.] *Mat. 25.*

De Iudice. *Cap. V I.*

IVdex, cùm sit lex animata, iustitiam diligere debet, vt monet Sapiens, cùm ait, *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*. Propterea eũ Confessarius primum hortetur, vt longe sit ab inordinato affectu erga partem alteram actricem; & æquales vtrique Aduocatos assignet, si ad eum pertinet eos dare: Deoq. soli placere studeat, non hominibus, in suo munere fungendo, [vt Greg. Past. p. 2. c. 8. & l. 21. mor. c. 17] Hinc Aegyptij Iudicis statuam fingebant iuxtà cælum sine capite, vt refert Cælius; quia nimirum oculos eum habere oportet in cælo fixos, non autem in terra, respicien-

Quomodo admonendi, & interrogandi Iudices. *Ant. 3. p. tit. 9. c. 1. & 3. Silu. & alij V. Iudex.*

ciendo personam hominum.

2 Vt iudicet iustè secundum allegata, & probata: sed tamen, si priuatam habeat notitiam de contraria veritate, differre debet sententiam; & omnia facere, quæ sine magno detrimento potest, pro veritate.

3 Citò causas expediat. Item ne accipiat
ent. 6. munera contra leges; hæc enim *excæcant oculos sapientium*; Quapropter Thebani Iudicem sine manibus depingebāt, vt refert Plutarchus.
p. c.2. 4 Ne fit in cognitione causæ nimis credulus, non enim cuique statim fides habenda est: & comperta veritate facti, studeat diligenter antequam sententiam ferat.

5 Vt tradat dubia parti actrici, pro defensione adhibenda.

6 Ne sit crudelis in torquendo reos: ne torqueat sine sufficientibus indicijs. Item ne examinet, nec exigat in genere iuramentum: sed in causa determinata.

7 In condemnando inclinet potius in clementiam, quàm in nimiam seueritatem.

8 Appellationem iustam admittat, eique deferat.

9 Carceres sæpe visitet.

10 Iniustam superioris sententiam nullo pacto exequatur.

11 Ne iudicet exemptos, nec eos, qui non spectant ad suam iurisdictionem.

12 Non iudicet die festo: non fingat casum, vt eat in domum alicuius feminæ: ne excommunicatū admittat: ne procedat sine accusatore, nisi in casibus iure permissis: ne capiat Cle-

ricum

ricum contra canonicas sanctiones; sed cùm primum cognouerit, statim suo Iudici restituat: ne extrahat delinquentes ab Ecclesia: nec immunitatem Ecclesiasticam in aliquo lædat: & denique obseruet leges Canonicas; &, si non sit satis peritus, cogat eum Confessarius renunciare; nam Eccles. 10. sic habetur; *Magnus est iudex, & potens est in honore, & non est maior illo, qui timet Deum*; sed de his satis. Nam quando teneatur ad restitutionem iudex, qui reum iniuste damnauit, vel vexauit, Confessarius ex doctoribus petet. [Lege Bonau. in *Pharetra* l. 1. c. 45. Ant. p. 2. tit. 1. c. 19. & 20.] De accusatore autem, de teste, & de reo, lege Doctores, [& præsertim Nau. c. 25. n. 31. & seq. Tol. l. 5. c. 57. & seq.]

Nau. ca. 25. n. 12. & 21.

De Aduocato, & Procuratore. Cap. VII.

Quomodo monendi, & interrogādi Aduocati, & Procuratores.

1 MOneat primùm non licere ei patrocinari, qui nouit se ad hoc munus non esse idoneum.

2 Eum grauiter peccare, cùm defendit causam, quam scit esse iniustam; vel id probabilius putat: similiter si non initio, sed in progressu litis hoc aduertit.

3 Cùm propter notabilem suam negligentiam, aut ignorantiam perdit iustam causam.

4 Cùm aliquid facit, quod aduersarium causa cadere faciat iniustè; nempe subornando testes, miscendo mendacia, vel impetrando importunas dilationes, &c.

5 Cùm aduersario reuelat secreta notabi-

lis momenti in præiudicium sui clientis.

6 Cùm stipendium iniustum petit, vel paciscitur in medio litis. [Ant. 3. p. t. 6. c. 2. §. 5.]

7 Cùm paciscitur de quota litis; vel vt ea victa tantum sibi soluatur, non aliàs. [Nauar. cap. 25. num. 28.]

8 Cùm pauperum causam iustam non defendit in extrema necessitate: immo verò in graui, per id quod superest temporis ex necessarijs suis occupationibus. [D. Tho. 2. 2. q. 71. art. 1. Sot. l. 5. de Iust. q. 8. art. 1. Silu. V. *Aduocatus*. q. 18. Nauar. c. 25. n. 19.] Denique cùm consultus falsa tradit. [Lege de his Bonau. Opusc. tom. 1. in *Pharetra*. c 26. Ant. p. 3. tit. 6. cap. 1. & 2. & par. 2. tit. 1. cap. 16. Tol. lib. 5. cap. 60. & 62.]

De Notarijs. *Cap. VIII.*

Notario- ...m offi- ...um, & ...bliga- ...o.

HOrtetur Notarium primùm, si opus fuerit, vt seruet ea, quæ initio iurauit obseruare, cùm munus suscepit: nimirum se confecturum instrumenta, pro quibus fuerit rogatus; nihil veritatis tacendo, nec falsa miscendo. Item se non reuelaturum sibi secreto commissa, nisi iusta de causa; & se non confecturum instrumentum vsurarium, vel illicitum scienter. Item se de omnibus retenturum protocollum; & fidelem se futurum ei, à quo creatus est Notarius. Postremò nullo amore, odio, spe, vel timore, se officio suo abusurum.

2 Ne instrumentum alicui necessarium occultet, lacerct, vel deleat, vel falsum faciat.

Vt

3 Vt rogatus det instrumenta, quæ dare tenetur parti; & item de eo admoneat ignorantem, cuius interest.

4 Vt die festo non conficiat ea: item ne ea pauperibus petentibus neget, qui soluendo non sunt.

5 Ne scribat statutum pro vsuris soluendis, vel non repetendis; vel aliud quodcumque contra libertatem Ecclesiasticam.

6 Ne conficiat testamentum carentis iudicio; aut non vtentis ratione, quia teneretur restituere.

7 Ne stipendium maius debito exigat; vel oblatum accipiat, cum publicum ei constitutum est.

8 Ne quid accipiat pro litteris Ordinariorum, præter decimam partem aurei; idque cum publica merces non soluitur. [Lege Toletum lib. 5. cap. 61. Nauar. cap. 25. num. 52. Anton. par. 3. tit. 6. c. 3. Conc. Trid. sess. 21. cap. 1. de reform.]

De Professore, & Scholaribus. Cap. IX.

Videat in primis Confessarius Doctorum, an Lector digne gradum susceperit, & exerceat. De quibus interrogandi Professores.

2 An ad lectionem admittat quos non debet, &c.

3 An obseruet statuta iurata; & maxime an indignos approbet ad doctoratum. *Ant. 3. p. t. 5. c. 2 § 10 & 11.*

4 An falsa doceat, vel ob malum finem.

5 An aliorum professorum Auditores ad se cum *Nau. ca. 25. n. 55.*

cum eorum detrimento trahat; vel lecturam procuret indignis.

6 An exigat ab Auditoribus stipendium, cum publicum habet; vel maius debito.

7 An Scholares crudeliter castiget.

8 An habeat libros prohibitos; & præsertim hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes.

9 An denique desit officio suo: & nisi proponat serio ab his abstinere, ne absoluat; sed corripiat, & moneat iuxta ea, quæ tradit Orig. [hom.7. in Leu. & D.Greg.Past.p.3.adm.7.]

Quid mo endi chola- es.

Scholares vero moneat, vt studeant diligenter, & ob bonum finem: nempe ad Dei gloriam, & animæ perfectionem, atque honestam sustentationem: alioquin periculosa res est; nam *Scientia inflat*, &, nisi cum virtute coniungatur, est veluti gladius in manu furiosi; vt prosequitur Gregor. [lib.27.moral.cap.27.] Quare reliquis omnibus anteponant *scientiam Sanctorum:* hæc enim verè hominem magnum facit, [vt Chrys. homil. 1. in Matth.] Hinc Apostolus 1. Cor. 13. *Si nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam; charitatem autem nõ habeam, nihil sum:* & cap. 12. *Aemulamini autem,* inquit, *charismata meliora: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro;* scilicet charitatem, cui adiuncta est vera sapientia. Item Eccles. 1. *Initium sapientiæ timor Domini*, & Iob.28. *Timor Domini ipse est sapientia*. Hæc autem *non habitat in corpore subdito peccatis*. Item Eccles. vltimo: *Time Deum, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo*. [Lege

Virtus lisciplinis præfe enda. Cap.10.

Eccles. 1.

Sap.1.

Bern.

Bern. serm. 27. in Cant.] Deinde hortetur, ne discant scientias prohibitas, vel superstitiosas; nec legant, aut teneant libros prohibitos; neque sint nimis curiosi, [vt Greg. Past. par. 3. adm. 30. & nos infra tract. 3. cap. 12.] Tertiò, ne contra veritatem cognitam altercari audeant. Quartò, ne tēpus conterant in ludis, aut in rebus vanis; nec prauorum hominum consuetudine vtantur. Quintò, ne audiant turpes comœdias; qua de re Chrys. [hom. 38. in Mat. & nos tract. 3. cap. 12. § 6. copiosè dicemus.] Sextò, ne suffragentur indigno Rectori, vel Lectori, aut Scholari promouendo ad gradus; præsertim cum periurio, aut mendacio. Septimò, vt debitum stipendium Magistro soluant; & Parocho decimas personales, vbi est consuetudo: ac parentibus, reliquisq. maioribus debitam reuerentiam, & obedientiam exhibeant; frequentent sacramenta; audiant quotidie Missam; orent deuote; & denique seruent reliqua ad Christianam vitam spectantia; de quibus aliàs. [Lege Bonau. Opusc. to. 1. Pharetræ c. 25. Ant. p. 3. tit. 5. c. 1. & 2. & p. 4. tit. 4. Nau. c. 25. n. 55.]

De Medicis. Cap. X.

Medicorum munus, & obligatio.

MEdicos verò diligenter admoneat, primū ne morbis mederi audeant, antequam scientiam, & praxim necessariam habeant.

2 Vt diligenter studeant, & infirmos visitent cùm opus est: nec medicinam adhibeant, nisi rectè morbi genus primum intelligant, & certò

certò putent illis profuturam: si enim dant, cùm dubitant esse noxiam, vel vt experimentum faciant, aut ne videantur ignari, mortis æternæ sunt rei.

3 Ne morbum in longum protrahant, lucri causa.

c. Cū infirmitas. de pœn. & remis. 4 Ne pro corpore curando dent consilium, vel medicinam cum periculo animæ.

5 Ne superstitiones immisceant naturali medicinæ.

6 Vt suadeant infirmis confessionem sacramentalem; nec vltra tertium diem visitent, nisi primùm confiteantur, vt Pius V. Constit. quæ incipit, *Supra gregem*.

7 Ne prægnanti mulieri præbeant potionē, vel medicinam, qua abortum faciat; idq. ne propter sanitatem quidem eius, si credunt, vel dubitant fœtum esse animatum: cùm autem probabiliter putant non esse animatum, potest matri pharmacum dari, ne pereat.

8 Ne sine causa legitima concedant facultatem cuiquam frangendi ieiunium; vel vescendi carnibus, ouis, vel lacticinijs diebus prohibitis.

9 Vt infirmos, quos credunt esse morituros, admoneant, vt animæ, reiq. familiari consulant.

10 Ne stipendium exigant iniustum, nec superflua pharmaca emere faciant, vt ditent pharmacopolas.

11 Vt pauperibus medeantur gratis, quos credunt alioqui morituros: cùm verò est grauis necessitas, quia scilicet adsunt alij medici, non

non sunt tamen ita periti, tenentur solùm per tempus, quod superabundat; vt dixi de Aduocato.

12 Ne detrahant alijs medicis; [de quo infra tract.3. c.6.] Medicum denique infidelem an liceat Christianis infirmis adhibere, non est huius loci; sed lege Constit. Gregorij XIII. quæ incipit: *Alias pia*. [lege plura apud D.Ant.p.3. tit.7. c.1. & 2. Nau.c.25.n.60.]

De Coniugatis. Cap. XI.

Sponsos primum commoneat, vt stent sponsalibus. Monita, & obligatiocõiugatorum.

2 Ne contrahant matrimonium cum aliquo canonico impedimento, vel censura; nec in peccato mortali: nec consumment, antequam ritè contrahant in facie Ecclesiæ; immo nec ante benedictionem.

3 In traductione vxoris, vt abstineant à sumptibus superfluis, & vanis, & à choreis.

4 Vt in timore Dei mutuo sibi debitum reddant apto loco, & tempore; non ad voluptatem, sed ad filiorum procreationem; iuxta consilium Angeli ad Tobiam: *Accipies*, inquit, *virginem cum timore Domini; amore filiorum magis, quàm libidine ductus*; & Beati Pauli, qui ait: *Reliquum est, vt qui habent vxores, tamquam non habentes sint*, &c. *præterit enim figura huius mundi*. *Tob.6.* 1.Cor. 7.

5 Vt contineant tempore infirmitatis; vel cùm imminet periculum abortus, aut grauis damni; item post votum castitatis mutuo con- Interdũ ab actu coniugali abstinendũ.

sensu emissum, vel post aliud impedimentum consulto Confessario: nam sæpe aliquis non potest iure exigere, qui tamen tenetur reddere. At verò, cùm est impedimentum dirimens, non licet petere, nec reddere, nisi post obtentam dispensationem iterum secretò contrahãt; idest, mutuum consensum iterum præstent, cùm sciuerint matrimonium fuisse nullum. Moneat etiam, vt, propter reuerentiam, nocte præcedente communionem ne exigant debitum. Illos verò, qui se polluunt cum peccato mortali, iubeat (si potest sine scandalo,) abstinere ab Eucharistia, saltem per vigintiquatuor horas, [vt Henriq. l. 8. de sacram. c.51. §.3.] Quomodo autem hæc inuestigare debeat Confessarius, dixi tract.1. c.2. §.3. Quid item agendum sit ei, comperto impedimento dirimente, habes ibidem §.5.

Filios rectè instituant.

6 Moneat, vt in filijs benè educandis sint diligentes, maximè autem in virtute, & timore Dei: nam vt ait Apostolus, *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* [idem explicatè Chrys. hom.21. ad Eph. Orig. hom.8. in Gen. Greg. l.31. mor. c.7.] & vt eos Deo sponte offerant, [vt suadet Chrys. hom. de Anna, & Samuel. educat.] Qui enim filios rectè instituit, dat illis veras diuitias in hæreditatem, [vt Bas. in Iob c.1. Chrys. hom.21. ad Eph.] Item vt à teneris annis de Inferno magno timore afficiantur; [vt Chrys. hom.2. in epist.2. ad Thess. & nos infrà cap. 19. §. 6.] Hinc Tobias ait, *Pauperem quidem vitam gerimus; sed multa*

1.Tim.5. — Tob.4.

bona

bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene. Præterea vt eis imponant nomina Sanctorum; vt sub illorum sint patrocinio; [Chrys. hom. 21. in Gen. & hom. 21. in epist. ad Ephes.] Curent item, vt cùm primū annos discretionis attigerint, sacramento Confirmationis confirmentur, vt Spiritum sanctum accipiant ad augmentum, & robur, sintq. perfecti Christiani. [Lege Bonau. in Biblia pauperum. c. 55. & 118. to. 2. Opusc. Ant. p. 4. tit. 2. c. 5. §. 3. & seq.]

7 Admoneat, ne maleficium, aliamve superstitionem vlla ratione adhibeant: ne item procurent abortum, aut sterilitatem, neque impediant conceptum. Monita pro viro, & vxore.

8 Vt mutuò se iuuent, & alter alterius onera portet, inuicem sibi compatiendo; vt sic adimpleant legem Christi: vt enim sunt vna caro, ita decet esse vnum vtriusque spiritum, propter animorum concordiam, [vt prosequitur Tert. l. 2. ad vxorem.] *Gal. 6.*

9 Ne verecundiæ fines pertranseant in suis verbis, & factis: sed coram Deo, & Angelis semper se stare meminerint; nam *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* *Heb. 4.*

10 Virum hortetur, ne in cura familiari, & Christiana disciplina sit remissus, nam *Qui parcit virga, odit filium suum:* quapropter seuerè, & constanter corrigat vitiosos: ne sicut Heli puniatur, si in hac re sit indulgens: nec flagitiosorum hominum consuetudinem habeat, sed eos à domo sua expellat: nec in ea permittat ludos, aut peiora vitia. Pro viro. *Prou. 13.* *1. Reg. 2. & 4.*

11 Ne coniugem male tractet, aut morosus irritet: sed humaniter, & mansuetè cum ea agat; quia sunt vna caro. Verumtamen cum vxore publica adultera non licet cum scandalo habitare.

Matt. 19.

Pro vxore.

12 Vxorem verò moneat, vt obediat viro suo; ne sit contentiosa, nec vana; nec in administratione domestica negligens; ne item de rebus domus quidquam sine viri voluntate dispenset, præter consuetas, & exiguas eleemosynas; nisi forte aliquid absconderet pro sumptibus domesticis, vt eripiat à manibus viri, qui omnia prodigus effunderet. Admoneat itē, vt viri domicilium sequatur, si potest sine peccato. Præterea vt virorum familiaritatem deuitet: & sit patiens, & modesta, præsertim in ornatu: *Vera enim pulchritudo ex virtute est*; [vt Chrys. hom. 4. in 1. ad Tim.] Addat etiam, ornatum superfluum esse vitiosum, vt patet Isai. 3. & 1. Pet. 3. & 1. ad Tim. 2. & exponit Tertull. lib. de hab. mul. quem sic concludit: *Vestite vos*, inquit, *serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ: talibus pigmentatæ Deum habebitis amatorem*. Similiter Chrysost. serm. 11. in epist. ad Rom. Cypr. l. de hab. Virg. & alij Patres superfluum ornatum improbant. Greg. Past. p. 3. adm. 28. [Lege plura apud Bon. *Pharetra* l. 1. c. 40. Ant. p. 3. t. 1. c. 19. & 20.]

De Militibus. *Cap. XII.*

Quid milites monendi.

CVram adhibeat Confessarius, vt Milites sciant se posse, cùm à suo Principe conuocan-

cantur, militiæ nomen licitè dare (nisi certo constet de belli iniustitia) sed cùm vocantur ab alio Principe, primùm constare oportet iustum esse bellum.

2 Moneat vt se armis benè muniant; & rectam habeant intentionem, nempe ad Dei gloriam, & Reipublicæ vtilitatem pugnandi.

3 Vt sint contenti stipendijs suis; neminem concutiant, aut calumnia afficiant, vel alia iniuria: immò verò ne hostium quidem loca eis depopulari licere, sine Præsidis potestate. *Luc.* 3.

4 Militum animos conciliet, nec inimicitias inter eos esse patiatur; & diligentiam adhibeat, vt sæpe confiteantur, atque à blasphemia, duello, ludo, luxuria, rapina, furto, ab omnibus denique alijs peccatis abstineant; & item occasiones peccandi, auctoritate superiorum, vt potest, remoueat.

5 Curet vt ante certamen confiteantur; & ipso certaminis tempore generatim solùm hortetur eos ad fortiter dimicandum; orationibus adiuuet; & vulneratos omni cura, ac diligentia complectatur: atque cùm pro fidei defensione pugnant, vt martyrij palmam consequantur, moneat, vt ad Dei gloriam pugnam referant, & pro religione Christiana fortiter vitam exponant: non enim illam amittunt, si cadunt; sed cum æterna commutant.

6 Præterea curam adhibeat, vt audiant Missam, recitent Officium, Coronam, vel Rosarium, aut alias similes orationes: vt item habeant apud se cereos Agnos Dei, sacras imagines, &c. At verò superstitiosa omnino prohi-

beat, ac detestetur.

Militia spiritualis. 7 Sit illi denique curæ, vt in militia spirituali se perperuò exerceant; idest in domandis animi perturbationibus, & reliquis obseruandis, quæ ad Christianam disciplinam spectant; vt sic verè Christi milites sint, & hostibus fortiores: nam Prou.16. *Melior est sapiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* [Lege Greg. lib.7. moral. c.8. & Chrys. hom.6. ad Tit. Bernard. in serm. ad milites templi. Bonau. in Pharetra l.1. c.47. Ant. par.3. tit.4. cap.1. & 2.]

De Mercatoribus, de Vsurarijs, & de retinentibus aliena. Cap. XIII.

Mercatorum obligatio. MErcatores moneat, primùm, vt caueant ab iniustitia, & fraude in pretio, pondere, & mensura: item vt manifestent vitia occulta; in rebus præsertim, quæ possunt detrimentum afferre, vt in medicinis, armis, alijsq. bellicis munitionibus, & ceteris eiusmodi.

2 Monopolia deuitent: Item ne abscondant merces necessarias ad victum: nam Prou.11. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.*

3 Ne fraudent iustas gabellas.

4 Vt à cambijs siccis, vel iniustis abstineāt.

5 Ab vsura etiā manifesta, palliata, & mentali. Hinc Apostolus ait: 1.Thess.4 *Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

Ne

6 Ne expendant falsas monetas, vel diminutas.

7 In societatibus seruent fidem, & Constit. Sixti V. In societatibus verò officiorum Rom. curiæ, Constitutionem Pij IV.

8 Non emant res furtiuas, vel quas dubitant esse tales.

9 Contractus prohibitos ne ineant, vel quos dubitant esse malos; nec sint eorum mediatores; immo reuideant antiquos, & examinent: nam ea, quæ ad peccatum implicant, vel sunt periculosa, nisi homo diligenter caueat, facilè ruit. [Lege Gregor. hom. 24. in Euang. Ant. par. 3. tit. 8.]

10 Ne exerceant artem, quæ ferè ad peccatum solum seruit.

11 Ne retineant aliena contra voluntatem dominorum; sed restituant quamprimum possunt: alioqui non absoluat: [vt supra dictum est, tract. 1. c. 3. §. 6.]

12 Ne vtantur depositis cum damno, vel periculo dominorum, [de quo Silu. V. *Depositum*. q. 1. & alij.]

13 Vt ieiunent cùm possunt; atque obseruent festa, quæ sunt in præcepto: ita vt non solùm à mercatura, alijsq. seruilibus operibus abstineant; sed Missam audiant, orent, ceterisq. spiritualibus officijs vacent: nam mercatores difficulter Deo placere possunt; [vt prosequitur Chrysost. hom. 38. in Matth. in imperfecto, & nos infra tract. 3. cap. 10. Lege Orig. homil. 23. in Num. D. Thom. 2.2. quæst. 122. art. 4. Anton. 2. par. tit. 9. cap. 7. & tit. 1. Mercaturæ periculum.

tit. 1. cap. 16. & seq. Bonau. in Pharetra lib. 1. cap. 48. tom. 1. opusc.]

De Recidiuis. Cap. XIV.

Recidiui quo pacto iuuā- di.

VT vtiliter recidiuos iuuet Confessarius, penetret primùm necesse est in animos: ita vt non solùm intelligat qualitatem peccati, sed etiam causas recidendi, seu peccata iterandi; quæ sunt, debilitas in voluntate, fragilitas in corpore, & tentationes, vel occasiones extrinsecæ: (loquimur autem de his, qui sacramenta frequentant.) Deinde sibi finem præfigat, nempe sanare infirmos, & liberare à peccato; atque huc omnia remedia referat, quæ sunt eiusmodi.

1 Omnem diligentiam adhibeat, vt pœnitens cognoscat grauitatem peccati, ex ijs, quæ infra cap. 17.

2 Imponat graues pœnitentias, & suadeat, vt per se aliquas etiam assumat cum consilio; frequentiam item Sacramentorum, orationis, & aliorum bonorum operum; & in primis, vt vitet pericula, & occasiones peccati.

3 Vt alios peritiores consulat de remedio.

4 Suspendat aliquando absolutionem.

5 Si denique accipit libenter remedia data, & ostendit signa contritionis cum aliqua emendatione, absoluat, & Domino commendet; atque ad memoriam reuocet, recidiuum, cùm iterat peccatum, alios septem spiritus nequiores in animam adducere, vt Orig. hom. 2. ad Ephes. exponit. Reos denique criminis capita-

Mat. 12.

pita-

pitalis, qui mentiti sunt in examine contra ius, ne absoluat ante completum examen: quia id tutius videtur. [Lege Chrys. hom. 2. ad Ephes. Ant. p. 4. tit. 14. cap. 6. §. 2. & seq. Gerson. lib. de remed. contra recidiuum.

De ijs, qui sunt in occasione peccati.
Cap. XV.

CVm in dubium reuocari non possit, remouendam esse occasionem peccati, vt patet Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, &c.* id est reprime, & compesce: Item Eccles. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*; tria tamen maxime Confessarius obseruabit, vt hos melius adiuuare possit. Primum, pœnitentem non teneri occasionem remotam relinquere. Secundum, teneri propinquam occasionem remouere; id est, quæ peccatum est mortale, vel frequenter est causa inducens ad illud. Tertium, cum concurrunt tres conditiones, non teneri occasionem propinquam remouere. Prima videlicet, vt sit contritus, id est, vt eum pœniteat de peccato, cum firmo proposito non peccandi in posterum, cum spe veniæ, &c. Secunda, vt probabili coniectura putet eum non peccaturum. Tertia, vt sit causa rationabilis non remouendi eam occasionem; nimirum scandalum, vel magnum incommodum, & detrimentum honoris, famæ, vel rerum temporalium &c.

Occasio peccati remouēda.

Nau. c. 3. n. 10.

Remedia contra pecc̄adi occasiones.

2. Hæc remedia ijs adhibēda sunt, qui sunt in occasione peccati, & non possunt eam remoue-

mouere. Primum exhortatio communis ex grauitate, & effectibus peccati, ex pœnis, & memoria mortis: de quibus cap.17. dicam. Secundum, frequens confessio, & communio; oratio, pœnitentiæ, &c. Tertium, vt cum Confessario sæpe conferat de statu illius occasionis, & de remedijs: ac, si quid ipsi opportunum occurrerit, proponat. Quartum, vt, si non potest omnino separari, faciat quod potest: exempli gratia, rarò cum illa persona loquatur, vel nunquã solus, &c. Quintum, vt si sponte complex cum eodem Confessario confiteatur, hic vtrumque adiuuet.

uid a-endũ, si æc non rosint.

3 An autem sit absoluendus, qui cum omnibus his remedijs, tamen nihil proficit, sed iterat peccata, difficilius est ad soluendum: hæc tamen videntur certa. Primum adhibenda esse remedia, quæ paulò ante pro recidiuis allata sunt. Secundum, si sit contritus, & exhibet aliquod signum correctionis, est absoluendus: si verò nulla apparet emendatio, neganda est absolutio; & prudenter, & cautè procuranda separatio: vel vt promittat pœnitens, se cum complice de remedio acturum; eique significaturum se omnino nolle amplius peccare, quod ei negata fuerit absolutio: nam post hanc promissionem posset absolui. [vt Nauar, cap.3. num.21. Lege de hac materia Chrys.hom.15. ad Populum, Basil. in reg.breu. cap.40. Greg. Past. par.3.adm.31, Anton.par. 3. titul.16.cap.1.§.10.]

De modo iuuandi pœnitentes ordinarios.
Cap. XVI.

NOui pœnitentes primum instituendi sunt ad sacramenta rite sumenda; ad orationem, & examen conscientiæ; & ad alia opera deuotionis: maximè autem, vt conscientiam suam perfectè aperiant Confessario, qui ipsos sæpe moneat, & ad maiorem progressum in spiritu hortetur. Et item doceat discrimen inter suggestionem, & consensum, seu delectationem voluntariam expresse, vel interpretatiue. Moneat etiam vitare iudicia temeraria, detractiones, dissolutiones, adulationes, contumelias etiam iocosas, ludos, otium, & similia; quæ valde animum relaxant, & diuini spiritus suauitatem impediunt: vtque rite confiteantur, doceat discurrere per præcepta, vt videant an in aliquo offenderint Deum, vel proximum cogitatione, verbo, opere, aut omissione: atque suadeat adhibere Confessionale breue Vincentij Bruni, aut aliud simile. Quomodo noui pœnitentes iuuandi.

2 Tepidos deinde pœnitentes, id est eos, qui cum frequentent sacramenta, tamen parum proficere videntur, in hunc modum adiuuabit: etenim si facilè incidunt in peccatum mortale, adhibebit remedia, quæ supra cap. 14. posuimus pro recidiuis: si autem non peccant mortaliter, verumtamen non proficiunt in spiritu, sed sensuales sunt, iracundi, & alia peccata venialia grauia committunt, hortetur, vt se bene præparent ad Sacramenta pœnitentiæ, Quomodo tepidi, qui nō proficiunt.

tiæ, & Eucharistiæ; & videant, an occulta habeant peccata; & an præstitutum tempus dent orationi mentali,& lectioni librorum spiritualium; an attentè audiant conciones sacras,&c. item suspendat aliquando communionem.

3 Leuiora autem peccata, quæ ex infirmitate naturæ nascuntur, permittit Deus iustis, vt vel sic humilientur, & diligentius in virtutum opera incumbant; [vt D. Gregor. lib. 4. Moral.cap.21.& 22. & lib.3. Dial. cap. 14. & Past. par.3. adm.16. 34. & 35. Bonau. Pharet. lib 1.cap.10. Ant. par.1. tit.1.c.2.§.5. & p.2. tit.9. cap.1. & 2.]

Quæ sint signa ad cognoscendum contritionem, & quis modus ad eam disponendi. *Cap.* XVII.

Contriti pœnitentis signa.

SIgna contritionis desumi possunt. Primùm ex præparatione facta ante confessionem. Secundò ex ipsamet confessione, & modo dicendi; nempe si exaggerat, si excusat, si lacrymatur, &c. Tertiò ex prompta voluntate satisfaciendi, vel difficultate: vt si petit maiorē pœnitentiam, vel recusat leuem. Quartò cum ipsemet pœnitens rogatus id significat. Adde quod etiam si dubitet de sua fragilitate pœnitens, tamen potest esse contritus; dum scilicet dolet de peccato, & vult omnino ab eo abstinere. [Nauar. cap. 9. num. 18. Victor. quæst. 197.] Quintò ex memoria peccatorum, pudore, timore iudicij, & pœnarum, &c. [de quibus Nauar. c.1 num 39.]

Di-

2. Disponi vero potest ad contritionem, primum ex momentanea voluptate, & turpitudine peccati: cuius deformitas quanta sit, ex eo maxime constat, quod pro remedio, sanguine filij Dei opus fuerit, vt prosequitur Bern. serm. 3. de Natiu. Domini. Secundò ex maiestate Dei offensi; qui Creator, Pater, & Redemptor noster est, finis, & beatitudo perfecta: ad quē homo collatus nullus est. vt infra libr. 2. tract. 2. cap. 32. num. 2. & tamen peccator peccando, quantum in se est, Deum tollit, & à se proijcit, quasi non esset Deus: quia saltem vellet, vt non posset eum punire. Tertiò ex hominis dignitate, & præstantia; quam tum à natura, tum in primis à Christi Domini gratia est consecutus: & tamen se in rem vilissimam abiecit. Quartò ex effectibus peccati: priuat enim Dei amicitia, gratia, donis, &c. Quintò ex ingratitudine: nam peccauit in eum, qui innumera, & maxima beneficia ipsi contulit; bonaq. cælestia meruit, & parauit. Sextò ex nouissimis. Septimò ex fructu pœnitentiæ: remittuntur enim per illam, & teguntur peccata, vt exponit Greg. l. 30. Moral. c. 16. Propterea nobis est veluti ciuitas refugij; vt idem lib. 10. moral. cap. 5. Item per pœnitentiam homo renouatur vt accipiter. idem 31. moral. cap. 18. Dat, præterea pœnitenti spem veniæ, gratiæ, & gloriæ consequendæ. Ad hæc impedit alia peccata; nam, vt ait Gregorius 25. mor. c. 12. *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit*. Lætificat denique cælum; nam *Gau-*

Motiua ad cōtritionē inducētia.

Ant. 3. p. tit. 14. c. 18. §. 5. Nau. c. 1. nu. 39.

Infr. tr. 3 c. 1. n. 3.

Psal. 31.

Pœnitētiæ fructus, & vtilitates.

dium eſt in cælo ſuper vno peccatore pœniten-
ic.15. *tiam agente* . [Quem locum exponit Gregor. hom.14. in Euang. Orig. homil 23. in Num.] Dat item verum gaudium etiam in hac vita, Chryſ. hom.18. ad pop. & in epiſt. ad Philipp. hom.15. Octauò adde, quòd peccator eſt quaſi leproſus, & pœnitentia ſanatur; Orig. hom.8. in Leu. Item vt phreneticus; lege autem diuina ligatur, ne fremat. Chryſ. hom.14. in epi.2.
Diuinæ ad Corinth Item quia lex Domini eſt ſuauis ;
gis p̄- Matth.11. & 1.Ioan.c.5. Chryſoſt. ſerm.21. in
ntia, epiſt.1.ad Cor. Nec iubet niſi vtilia ; Idem
ſuaui- Chryſoſt.hom.16.ab populum, & 39. in Matth.
s. Præterea veram pacem affert ; nam *Pax multa diligentibus legem tuam* , Pſal.118. Et item lu-
ſal.18. cem menti præfert : nam *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: &, Sapientiam præſtans paruulis* . Huius autem legis iugum ; quod homo per peccatum à ſe abiecit, per con-
ſæ 11. tritionem reſumit, ſuoq; collo imponit ; Deus
ier.6. autem illud ſubleuans, leue , & ſuaue reddit . [Chryſoſt.hom.17. & 39.in Matth. & ſerm.21. in 1. epiſt.ad Cor. D. Thom.1.2. q.104. art 4.]
ſal. 93. Nos verò fingimus laborem in præcepto , cùm
ap.5. Deum ſubleuatorem à nobis reijcimus , & ingredimur vias peccaturum difficiles , errantes à via veritatis . [De quo Chryſoſt.hom.9. in epiſt.1. ad Theſſal. & hom.6. in epiſt. ad Tit. & hom.33.in epiſt.ad Hebr. Caſſian. collat.24. cap.24. & 25.] vel viam Domini nimis onuſti terrenis affectibus proſequimur . [Chryſoſt. homil.6. in epiſt. ad Tit.] vel declinando ad dexteram, vel ſiniſtram : & dilatatis manibus,

&

& pedibus transimus per arctam viam Domini, quæ est veluti pons angustus; [vt Basil. in reg. breu. inter. 241.] Illis autem, qui membra coangustant, & coarctant, redditur facilis; eis nimirum, qui passiones reprimunt assidua mortificatione, &c. [In hanc sententiam lege plura apud Greg. Past.p.3. adm.30. & l.4.moral. cap.26. item Orig. hom.20. & 23., in Num.; & hom.7.12.& 14.in Leu. Chrys.hom.30. ad pop. & hom 8. in epist. ad Rom. Cassia.collat.6.c.3. Bonau.Opusc.de septē itineribus æternitatis.to. 3. Anton.p.3.tit.14.c.18.§.5. Huc etiā spectant, quæ nos supra tract.1.c.1.§.5. & l.2. tract.1.] Ex his denique intelligitur, quomodo iuuandi sint obstinati, & adducendi ad contritionem: atque ex ijs, quæ speciatim Greg.Past. par.3. adm.14. Auctores ĩ hac re consulendi.

De modo iuuandi Scrupulosos.
Cap. XVIII.

Statuere primùm oportet, quid sit scrupulus: est enim motio ad vnam partem contradictionis ex leuibus coniecturis. Ex qua descriptione constat: Primùm, scrupulum esse motiuum contra determinatum iudicium rationis, vel conscientiæ: omnes enim scrupuli versantur in apprehensione, non in iudicio: At verò scrupulosi confundunt repræsentationes cum consensu; & putant se consentire peccato, cùm verè non consentiant. Deinde infertur, posse esse voluntatem rectam, quæ non sit conformis conscientiæ scrupulosæ: immo expedire Scrupulus quid.

Expedit contemnere scrupulos. aliquando facere contra talem conscientiam; dummodo tamen scrupulosus perseueret in iudicio practico, quo iudicat id sibi licere: si enim incipiat dubitare, peccat si ita operatur; nisi conscientiam deponat: quapropter magni refert paruipendere scrupulos; vt §.4. dicam. Postremò infertur, valde improprie dici scrupulosos illos, qui ex ignorantia dubitant de qualibet re, & comperta veritate, statim acquiescunt: eoq. magis illos, qui propter synderesim, remorsum habent conscientiæ, ex causa probabili. Hi enim non sunt scrupuli, sed vel dubia, vel remorsus conscientiæ.

2 Præterea ponendum, non esse in tuto statu illum, qui est solum sollicitus de preteritis peccatis ex leuibus coniecturis, & negligens in cauendis præsentibus, vel futuris.

Scrupulorũ causæ. 3 Scrupulos posse oriri ex varijs causis. Primum ex complexione timida, qualis est frigida, & melancholica. Secundo ex læsione imaginationis. Tertio ex tentatione dæmonum. Quarto ex nimia debilitate orta ex vigilijs, abstinentijs, studio, meditatione, &c. Quinto ex multa conuersatione cum scrupulosis. Sexto ex superbia, & nimia confidentia sui. Ex quo intelligitur, conscientiam scrupulosam esse valde perniciosam, & periculosam:

Scrupulorũ mala. gignit enim inconstantiam, & paruitatem animi, acediam, nebulas intellectus, & perturbationem mentis; destruit vires corporis, & animi; ac tandem vel ducit in amentiam, vel de-

Scrupulorũ remedia. sperationem.

4 Præcipua remedia, quæ maximè iuuant ad

ad tollendos ſcrupulos, hæc ſunt: Primum ſe diſponere pro virili ad gratiam, & auxilium ſpeciale Dei. Secundum, auertere cogitationem à ſcrupulo. Tertium mederi atræ bili, ſeu melancholiæ, moderatam procurando recreationem, cibos aptos, medicinam, &c. Quartum, ſubmittere ſe aliorum iudicio: ſibique certo perſuadere, id quod Confeſſarius ſuadet, Deo magis placere. Quintum, eligere in dubijs opinionem probabilem, & in ea quieſcere, etiamſi minus tuta ſit; vt cùm agitur de reſtitutione facienda, de iterandis orationibus, & ſimilibus. [De quo Nauarr. c. 27. n. 286. & Sūmiſtæ V. *Opinio.*] Sextum, diffidere de proprijs viribus, & confidere in Domini miſericordia. Septimum, aſſidue, & deuote orare. Octauum, ſollicitum eſſe in vitandis manifeſtis peccatis, etiam venialibus. Nonum, ſtatuere, quòd non quidquid homo faceret in articulo mortis conſtitutus, debet, nec expedit in toto ſuæ vitæ tempore facere. Decimum, recte intelligere illas celebres propoſitiones: *In dubijs tutior pars eſt eligenda: Qui amat periculum peribit in illo: Tene certum, & dimitte incertum: Bonarum mentium eſt, ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt.* [De quibus Anton. par. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. Nauarr. c. 27. n. 280. & alij.] Vndecimum, Si quis dubium ſcrupuloſum deponat ad conſilium viri eruditi, excuſatur à peccato, etiamſi erret. Duodecimum, qui patitur ſcrupulos, poteſt, & debet contra illos operari tuta conſcientia, etiam proprio conſilio, dummodo

Operandū cōtra ſcrupulos.

probabili ducatur ratione; nec quidquam refert, num ratione timoris habeat leuem suspicionem in oppositum. Decimum tertium, scrupulosi credulitas habenda est pro certitudine, cùm est in eius fauorem; vt si credat se esse ritè confessum, &c. [Caiet. V. *Scrupulosorum medicina*, & alij.] Decimum quartum, leuiore fundamento potest scrupulosus aliquid tuto credere, & sequi, quàm alij: vt cùm in Missa, vel Horis canonicis recitandis dubitat, an aliquid omiserit, potest prosequi, putando se nihil omisisse. Decimum quintum, circa legum obseruationem, sibi certo persuadeat; eum non peccare, qui obseruat legem secundum mentem legislatoris; etiamsi verba transgrediatur. Item quod benigna, non seuera interpretatio facienda est: Præterea quod Deus, & Ecclesia non intendunt obligare, nisi ad id, quod fieri potest: est enim iugum suaue: & item illum, qui contra legem facit, non ex contemptu, sed per epijciam, ratione alicuius periculi considerati, non peccare, [vt Sylu. V. *Scrupulus*. q.4.§.7. Tab.eodem. Anton. reg.7. & alij.] Decimum sextum, licitum esse denique vni facere aliquid, quod alijs est dubium, an sit peccatum mortale; vt liquet ex supradictis: quia nimirum acquiescit opinioni probabili, quæ tamen illis videtur falsa. Hæc de remedijs scrupulosorum.

Dubia in fauorem scrupulosi interpretanda.

De

De modo iuuandi rudes, & pueros, ac puellas. Cap. X I X.

COnfessarius cum rudium audit confessiones, videat primùm an sciant mysteria fidei necessaria, & præcepta decalogi, ac Ecclesiæ; ea item ex quibus imminet periculum scādali; & quæ ad eius statum, atque officium pertinent: & ignorantes hæc, si potest, doceat; sin minus, ad aliquem instructorem mittat. Quomodo Rudes instruēdi.

2 Cum confessio longa est, interroget Confessarius iuxta ordinem præceptorum; ita vt ad caput propositum illi respondeant, quod occurrit: deinde ad alia sigillatim: & in primis roget, an aliquid siluerint data opera in confessione, vel proposuerint non dicere nisi rogati.

3 Qui autem sciunt legerè, vtantur Confessionali Bruni, vel alio simili: aut doceat Confessarius discurrere per præcepta, per tempora, per varios status, officia, loca, & personas, cum quibus est versatus, &c. [lege de his Henriq.l.6.c.29. & 30. & l.5.c.5. & alios.]

4 Cùm dicunt superuacanea, & omittunt grauiora, docebit eos patienter; præsertim si habeant conscientiam erroneam, vt supra dictum est.

5 Doceat dicere Coronam, vel Rosarium, vt paulatim discant deuotè orare, audire Missam, & antequam eant cubitum, examinare conscientiam. [Lege Ant.p.3.tit.8.c.4.§.13. & quæ nos l.2.tr.1.c.9.]

Cautio cum pueris adhibenda.

6 Cum pueris verò caute agat, ne propter pudorem, seu verecundiam peccata taceant: Propterea leniter, & paulatim interroget: an dæmon eis suggesserit prauam aliquam cogitationem, & de motibus sensualitatis, si ætatem habent: inde ad verba,& tandem ad alios actus externos procedat: moneatq. ne eos pudeat confiteri, quod non puduit facere: item ad remedium institutam esse confessionem; quæ tamen si non sit integrè, non prodest,immo maximè obest propter sacrilegium: indicet præterea sigilli obligationem, vt ad confitendum incitentur: & quæ nos c.1.§.5. Ad hæc admoneat, vt sint obedientes parentibus, & magistris; sintq. diligentes in studio: vt ludos prohibitos deuitent: quia dæmon dat sic ludere, nempe cum peccato,[vt Chrys.hom.6.in Mat.] Neque cantent turpia:quia tunc dæmon adest: si autem cantēt spiritualia,adest Deus,[Chrys. in Psal.41.] Et item, vt conuersationes prauas fugiant; inhonesta verba, crapulam, ebrietatem, superfluos ornatus; vtq. deuotè Missam audiant, & orent: præterea conetur in eorum animis imprimere timorem Dei, qui est initium sapientiæ; & verò etiam timorem pœnarum inferni, [vt monet Chrysost. hom. 2. in epist. 2. ad Thess.] Adhibeat denique diligentiam, vt intelligant plurimum conferre ad virtutem consequendam, & conseruandam, ne iuuenes nimiam cum aliquo familiaritatem ineant, neve cum externis faciles sint; sed insipidi potius, & acres, vt volebat Seneca; idemq. suadet S. Catharina Senensis epist. ad neptem,

Quomodo monēdi, & interrogādi pueri.

Pueri familiaritates vitent.

l.2.tr.2. c.18.n.5

neptem, & Chrys. in Psalm.4. in fine. Atque propterea B. Laurentius Iustinianus talem se fuisse in iuuentute lætatur, ac de hoc Deo gratias agit; quod maluerit melancholicus, & inurbanus haberi, quàm diuina gratia, virtuteq. priuari: facilitas enim morum in ea ætate cùm nimis alliciat animos, periculosa est. Adde quòd læti habent de propinquo luxuriam, [vt Gregor. Past. par.3. adm.4. & l.19. moral. cap.12.]

7 Cum puellis etiam cautissimè loquatur: ne forte, quæ innocentes sunt, praua discant: eas autem, quas iam deprauatas esse cognouerit, diligenter examinet, vt supra. Deinde moneat, vt superfluum ornatum detestentur; prospectum per fenestras vitent; litteras, munera, turpia verba, libros amatorios, & quæcumque honestati aduersantur; doceat denique orare, tentationibus repugnare, & confiteri, & communicare deuote, & reliqua, quæ nos lib.2. tract.1. [Lege Henriq. lib.5. de sacram. cap.8. §.2.] Quomodo monẽdæ Puellæ.

De timidis, & pusillis iuuandis dixi tract.1. cap.1. §.9. Consolari enim eos oportet ex Dei clementia, & promissionibus; ex passione Christi, & similibus locis. [Lege Greg. Past. p.3. adm.9. Chrys. hom.35. in Gen. & hom.13. in Matth. & hom.26. in Acta. D.Tho. 2.2. q.133. Bonau. opusc. de pugna spirituali tom.3. Ant. p.2. tit.9.c.6. & 15.] Quo pacto iuuãdi Timidi, Hypocritæ, afflicti, &c.

Quomodo sint iuuandi hypocritæ, vide in Pastor. Gregor. [par.3. admon.36. & lib.8. moral. cap.24.]

Perturbatos item passionibus consoletur ex his, quæ Greg. [Past. p.3. adm. 3.4. & 10. & nos l.2. tract.2. c.22.]

Tribulationibus vexatos soletur ex his, quæ idem Greg. [Past. p.3. adm. 27.] & ex bonis patientiæ, [de quibus Tert. Cyprian. August. D. Thomas, & alij.]

Hæreticos denique adiuuet iuxta ea, quæ D. Greg. [Past. par.3. adm.25.] Si enim singula persequi vellem, nullus esset finis.

Forma reconciliãdi Hæreticos, &c.

Forma autem, & modus abiurandi hæresim, habetur in cap. *Ego Berengarius.* de cons. d.2. & in cap. *Quotiens cordis.* & cap. *Saluberrimum.* 1.q.7. [Lege etiam Eymericum in Direct. Inquisit. p.3. in quarto, quinto, & sexto modo processum fidei terminandi. Turrecr. in Summa de Eccles. l.4. p. 2. c.22. Simanch. de Cathol. instit. tit.1.] De forma verò abiurandi schisma, vide Turrecr. [lib.4. par.2. cap.15. & Conrad. Brunum, l.3. de Hæret. c.6.]


In foro autem conscientiæ satis est dicere, *Abiuro omnes, & singulos errores, quos tibi confessus sum, & iuro me in posterum obediturum mandatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*



TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

DE REMEDIIS peccatorum.



ERITI medici est, non solum ægrotis mederi, eosque in pristinam suam sanitatem restituere; sed etiam sanos à morbis præseruare, morborumque causas prohibere. Idemque medicis spiritualibus animarum obseruandum eo magis est, quo præstabilior est animus corpore: quovè spirituales morbi perniciosi magis sunt, & periculosæ curationes. Quamobrem hoc tractatu breuiter agam de remedijs contra vitia, & tentationes, vt promptior sit Confessarius ad pœnitentes iuuandos. Ac primùm generatim, deinde speciatim de singulis dicam.

Cōfessarius abūdet remedijs contra peccata.

De remedijs generatim, & vniuersè contra vitia, & tentationes. *Cap. I.*

SAlutare in primis remedium est ad omnia peccata vitanda, vitiaque expugnanda, meditari omnibus horis impendentem mortem, iudicium Dei, inferorum pœnas, & gloriam Paradisi; iuxta consilium sapientis Eccl. 7.

Remediū generale Nouissimorū memoria.

Me-

Memorare nouissima tua, & in aeternum non peccabis.

Oratio, ac Meditatio. 2 Humilis, deuota, & assidua oratio, cum meditatione beneficiorum, & mysteriorum Dei coniuncta; *Quamdiu enim Deus non aufert à te deprecationem tuam, non aufert à te misericordiam suam*, vt D. Aug. in Psal. 65.

Iustorum felicitas; impiorũ calamitas. 3 Perpendere iusti hominis felicitatem, impij calamitatem, mundique vanitatem: *qui enim benè viuit, est verus homo* [vt Orig. hom. 14. in Leu.] immo est quasi Angelus: [ibidem hom. 9.] fruitur multa pace; idcirco est felix.

Psal. 118 [Chrys. hom. 29. in 1. ad Cor. & hom. 6. in 2. ad Cor.] Et verè nobilis [Greg. 20. moral. cap. 16. & Chrys. hom. 3. & 9. in Matth.] propterea comparat illum caelo [ho. 16. in epist. ad Heb.] Plures etiam laudes idem enumerat [hom. 27.

Eccl. vlt. ibidem] Hinc Salomon, *Time, inquit, Deum, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo*; id est in hoc consistit perfectio hominis. Non igitur mirum, si caduca omnia talis contemnit; [Chrys. hom. vlt. in epist. ad Phil.] Habet enim mercedem copiosam, sibi paratam in caelo. [Matth. 5. Luc. 6. Chrys. hom. 43. in 1. ad

Sap. 3. Cor.] Adde quod anima iusti in manu Dei est;

Orig. ho 9 & 14. in Leu. in qua sunt voluptates vsque in finem. Psal. 15. Est item iustus templum Spiritus sancti, filius Dei, cohaeres Christi: cum vero peccat, fit seruus peccati, & diaboli, inimicus Dei, & denigratur super carbones (propterea quod priua-

Thren. 4. tur gratia, & donis) fit reus gehennae, & similis bestijs, immo peior illis [vt Chrys. hom. 39.

Isa. 48. ad pop. Orig. hom. 8. in Exod.] Item *non est*

pax

pax impiis: quia *Impij quasi mare feruens:* Res præterea huius mundi caducæ sunt, & vanæ, nec satiant animam [Eccl. 1. & Ioan. 4.] Vita item breuis, incerta, fragilis, fallax, misera, & morti subiecta [vt Greg.lib.7.mor. cap.14.& lib.11. cap.15. & lib.12.cap.9.& lib. 20.cap.15.] Hinc August.lib.4.confess.cap 12. *Quærite,* inquit, *quod quæritis, sed non est vbi quæritis.*

Supr. tr. 2. c. 17. Isa. 57.

4 Optimum est remedium meditari passionem Christi Domini; vt monet Apostolus ad Hebr.12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem; vt non fatigemini animis vestris deficientes: nondum enim vsque ad sanguinem restitistis* [Lege Chrysost.ho.82.in Ioan.] Gloriemur item in Cruce eius [ad Galat.6.Chrys. hom.55. in Matth.] Præterea cogitemus peccatorem rursum crucifigere sibimetipsi filium Dei, eumque conculcare; & sanguinem Testamenti pollutum ducere, in quo sanctificatus est; & Spiritui sancto contumeliam facere; & eum quodammodo contristare.

Meditatio passiõtis Christi.

Ad Heb. 6. Ibid 10. Ad Eph. 4.

5 Iuuat frequentia sacramentorum, pœnitentiæ, & Eucharistiæ, cum debita præparatione, & reuerentia: nam *Qui manducat meam carnem,* &c. *in me manet, & ego in eo.* Hinc Chrysost. hom.61.ad popul. ait, *Tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus; facti Diabolo terribiles.* Lege quæ nos lib.2. tract.1.cap.4. & 16. Item quia gratia fœcundat animum, &c. [vt Orig. hom. vni.in l. reg. in fine. Gregor. 5. moral. cap. 5. & lib. 32. cap. 8.

Frequentia sacramentorũ. *Ioan.6.*

cap. 8. Cassian. lib. 12. Instit. cap. 11.]

Exēpla sanctorũ *Heb. 12.* 6 Mouent valde exempla Sanctorum, qui Christi vestigia secuti, magna passi sunt tormenta: nos autem nondum vsque ad sanguinem restitimus; & fatigamur animis nostris deficientes; & tamen non sumus illis meliores, [vt prosequitur Chrysost. hom. 28. ad pop. & hom. 15. ad Phil.]

Dei præsentia. 7 Cogitare iuuat quod Deo omnia sciente, & vidente fiant; vt fecit Abraham Genes. 22. [& notat Chrys. in Psal. 7. & Bern. serm. 2. in Psalm. *Qui habitat.*] Item quod pro Christo

Pati pro Christo. pati maximum beneficium est; atque optabilius, quàm rapi cum Paulo vsque ad tertium cælum [vt Chrys. hom. 8. ad Ephes. simile hom. 5. de patientia Iob.] Adde quod ipse Pater amat nos, & nostri curam gerit; scit quid expediat, & potest, si vult, liberare [Chrys. in cap. 1. Iob. Greg. lib. 28. moral. c. 9.]

Eccl. 1. Timor Dñi, 8 *Timor Domini expellit peccatum.* Hinc Dauid Psal. 118. *Confige*, inquit, *timore tuo carnes meas*; nam qui confixus est clauis, moueri non potest; ita qui timet Deum, vix, aut rarò peccat [Basil. in Psalm. 118. Cassian. lib. 2. Instit. cap. 35. D. Thom. 1. 2. quæst. 68. art. 4.] Hinc Eccl. 21. *quasi à facie colubri fuge peccata*; & Chrys. [hom. super oratione Annæ,] *Gehenna quaque formidolosius sit Deum offendere, & omni regno desiderabilius Deo placere* [simi e in hom. 5. ad Rom. & 24. in Matth. & 23. in Gen.] Item in Psalm. 127. *Timor*, inquit, *Domini purgat hominem, vt ignis ferrum; & filium beat.* Denique *apponet dies*, Prou. 10.

9 Plu-

9 Plurimum adiumenti adfert lectio librorum spiritualium, examen conscientiæ, sæpe imaginari præsentiam Dei, & Angelorum, assumere voluntarias pœnitentias, & mortificationes, adhibere consilium Confessarij, deuitare occasiones peccatorum, & similia. Sed age adiungamus nunc aliqua remedia vniuersalia pro tempore ipso tentationis. Lectio piorũ librorum. &c.

10 Præsentaneum igitur in primis remediũ est, diffidere de proprijs viribus, & ad eum cum fiducia recurrere, qui est *Refugium nostrum, & virtus, adiutor in tribulationibus*: de quo lib. 2. tract. 1. cap. 12. Assumere item *gladium Spiritus, quod est verbum Dei*; Et cogitare Deum cum cælesti curia expectare à nobis victoriam, vt coronet, & det manna absconditum. Item quod Deus fidelis est, qui non permittet nos tentari supra vires. [Lege Chrys. hom. 6. ad Tit. Greg. lib. 26. moral. cap. 16. & lib. 33. cap. 10. & 11.] & *supponit manum suam, ne collidamur*. Psalm. 37. [Lege Bern. serm. 2. in Psalm. *Qui habitat*. & quæ nos infra c. 2. & lib. 2. tract. 1. c. 12.] Diuinæ opis imploratio. *Psal. 45.* *Ad Eph. 6.* *Apoc. 2.* *1. Cor. 10*

11 Cogitemus cito transire laborem certaminis, meritum vero manere; vt D. Petrus, *Modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus*, &c. & D. Paulus 2. Corinth. 4. *Momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: Contra vero si nos vinci patiamur, imminent omnia mala, quæ aliàs recensuimus. Momentanea pugna, prẹmiũ æternum. *1. Pet. 1.*

12 Principijs tentationum constanter resisten- Princi-

pijs resistendum. stendum: si enim præualeat hostis, difficilius superatur. Hinc Iacob. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* [Lege Chrysost. super Psalm. 6. & hom. 9. in primam ad Thessal.] & Apostolus Petrus, *Fratres,* inquit, *sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester Diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; cui resistite fortes in fide*: & Paulus ad Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei*, &c. *non est enim nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates*, &c. Illud præterea solatur nos, quòd non vincit nisi volentem: est enim veluti canis vinctus catenis, qui ad se propinquantes solum mordet, [vt August. serm. 197. de tempore.] Et item dat animum, quod *Deum nemo amittit, nisi qui dimittit*: [vt idem lib. 4. Confess. cap 9.] Adde quod Christus Dominus illum superans in tentatione, vires eius eneruauit. Hinc Ioan. 16. *Confidite*, inquit, *quia ego vici mundum.*

1. epist. 5.

Diaboli tentātis impotentia.

Præmiū viriliter dimicātium.

13 Meditari præmia illis parata, qui fortiter dimicauerint vsque ad finem. [Lege Orig. lib. 2. in Iob. & hom. 7. 25. & 27. in Num. Gregor. lib. 7. Moral. cap. 7. & lib. 8. cap. 3. & 5. lib. 30. cap. 17. lib. 31. cap. 17. lib. 32. cap. 16. lib. 33. cap. 10. & 11. & hom. 12. in Ezech. Chrysost. hom. 43. in 1. ad Corinth. Cassian. lib. 5. Instit. cap. 17. & collat. 24. cap. 25. Bernar. serm. 2. in Psalm. *Qui habitat*. & 64. in Cant.]

14 Denique iuuabit intelligere vtilitatem tentationis, & ab ea non abhorrere: Vt enim illam

illam contemnere periculosum est; ita nimis timere vitiosum: propterea de hac re aliqua dicam. [Lege plura apud Bonau.Opusc.tom. 3. Anton.par.1.tit.6. c.13.]

De vtilitate ex tentationibus capienda.
Cap. II.

STatuenda primum sunt aliqua, ex quibus tentationis vtilitas facilè intelligi poterit; nempe multos esse tentandi modos, & tentatores plurimos. Nam tentat homo hominem, vt cognoscat; tentat etiam homo Deum, vt eius virtutem experiatur; tentat caro, vt alliciat; tentat mundus, vt ad se trahat; tentant hæc eadem, vt sunt instrumenta Diaboli; tentat ipse dæmon, vt noceat, & ad malum inducat; tentat denique Deus, solum vt promoueat, & erudiat; vt scilicet homo cognoscat se ipsum, & ab alijs cognoscatur; sic tentauit Abrahã, Iob, Tobiam, filios Israel, & plerosque alios: ad malum autem Deus neminem tentat. Tentationem vero dæmonum aliquando Deus vult, aliquando permittit. Vult nimirum in electis ad maiorem gloriam, quia scit eos non consensuros. Hinc Iacob. cap.1. *Beatus vir, qui suffert tentationem,&c.* sic tentatus fuit Diuus Paulus,& alij Sancti,*secti sunt,tentati sunt,*&c. ad Hebr.11. Atqui permittit in malis hominibus secundum iudicia occulta suæ diuinæ prouidentiæ, & iustitiæ; dat tamen eis auxilium sufficiens, custodiam Angelorum: & cùm sint præditi libero arbitrio, quod cogi non potest, resi-

Qui tentent.
1.Ioan.2
Gen. 22.
Iob 2.
Tob. 2.
Deut.13.
Iacob. 1.
Cur Deꝰ tentationes permittat.
2.Cor.12.

resistere possent, si vellent conari, & diuino auxilio cooperari. Has tentationes Deus refert ad gloriam suam, & confusionem superbiæ Diaboli, ad incrementum bonorum; *Mortificat enim Deus, vt purificet:* [Chrys.hom.*6.* ad Tit.] Adde quod etiam tentationem corporalem vult Deus plerumque, vel ad puniendum, vel ad corrigendum, vel ad gloriosius coronandum. Attamen dæmon ad tentandum hominem mouetur, tum propria ipsius malitia, tum superbia, tum inuidia erga homines; tum denique propter odium, quod habet erga Deum. Tentat autem, vt exploret, & cognoscat interiores affectiones hominis; & ad quæ vitia sit magis pronus (cum interiora non cernat) vt ad ea instiget, atque ab illis virtutibus remoueat, ad quas videt eum magis esse incitatum. Tentat denique seducendo intellectum, vel corrumpendo affectum. Quo autem modo id efficiat, vide apud Cassian. [collat. 7. cap. 20. 22. & 23. Anton.2. par.tit.12.cap.1.] Hinc obtinuit nomen *Tentatoris*, [vt patet Matth.4. & prima ad Thess.3.]

Cur & quo Dæmon tētet.

1.*Cor*.10 Nō tētamur supra vires.

2 Statuo deinde fidelem esse Deum, qui non permittit nos tentari supra id quod possumus; sed facit cum tentatione etiam prouentum, vt possimus sustinere. Hinc Psalm.117. *Impulsus euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me:* & Psalm.36. *Cum ceciderit non collidetur; quia Dominus supponit manum suam.* [Lege Bernard. serm 2. & 4. in Psalm. *Qui habitat.*]

Tētatio extrinseca, & intrinseca.

3 Cum tentatio hominis sit duplex, vna ab intrinseco, quæ à carne, & concupiscentia, ori-

oritur ; altera ab extrinseco, nempe à dæmone, vel eius instrumentis, &c. prior vel est cum peccato, vel oritur ex peccato : quia scilicet fit per delectationem, & concupiscentiam : [vt D. Aug. l. 19. de Ciuit. c. 4. D. Thom. 3. p. q. 41. art. 1. ad 3. & alij.]

4 Denique statuendum est, hanc esse consuetam viam ad consequendam virtutem, & vltimam felicitatem, diuina prouidentia constitutam : nimirum per multas tribulationes, & tentationes. Hinc Iob c. 7. *Tentatio*, inquit, *est vita hominis super terram*: & Sapiēs Eccl. 11. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore : & præpara animam tuam ad tentationem* : & Iacob. 1. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis* : Et hac via Sancti ad gloriam peruenerunt, [vt prosequitur August. in Psal. 60. Chrys. hom. 15. ad Phil.] Et in primis Redemptor noster, *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus*; tentari tamen voluit *pro similitudine, absque peccato*; & solum ab extrinseco : his potissimum de causis. Primùm, vt sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret; [iuxta Greg. hom. 16. in Euang. & Aug. l. 4. de Trin. c. 13.] Secundò, vt nemo quantumuis sanctus se immunem putet à tentatione ; nam sanctificati vehementius tentantur, [vt Hilar. super Matt. c. 3.] Tertiò, vt instrueret nos ad superandum tentationes, [vt August. dicto cap. 13. & in Psal. 60.] Quartò, vt nobis fiduciam daret de

Tentatio ad Virtutes via. *Act. 14.*

Hebr. 11.

1. Petr. 2. *Heb. 7.*

Ibid. 4. Christus cur tentatus.

Heb.4. sua misericordia; *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris:*
Ibid. 2. *In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur, auxiliari.*

Cur iusti tentētur. & tentationum vtilitas.

5 Ex his facile intelligitur, maximam ex tentationibus hauriri vtilitatem: quare tentari oportet homines, etiam iustos. Primùm, ne sua virtute extollantur, 2.Cor.12. Deinde ne alij plus eis tribuant, quàm oportet, Deos esse existimantes. Tertiò, vt Dei virtus magis elu-
2. Cor.4. cescat, & *sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis:* & totam spem in eo collocent, [vt Chrysf. homil.6. ad Tit.] sic enim confundunt hostes, resistendo, quasi adamas, ictibus tentationum, [Chrysf.hom.4. in Gen. Cassia. coll.6. c.12.] Quartò, vt sic magis probentur, Eccle.27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Item, vt eorum virtus, & patientia manifestetur; ne spe præsentis felicitatis Deo seruire videantur; vt liquet in Iob, [& obseruat Greg. hom. 19. in Ezech.] Quintò, vt ad futuram vitam adspirent de resurrectione cogitantes; ibi enim parata sunt illis præmia. [Chrysf. hom.8. in 2. ad Timoth. Bernard. & alij.] Sextò, vt exemplum eorum sit alijs afflictis solatium. Septimò, ne eos imitari nos tædeat: nam licet virtute præcellant, sunt tamen eiusdem naturæ nobiscum passibiles, & imbecilli. Octauò, vt omnes sciant, quinam beati, quive miseri censendi sint; & item ex amaritudinibus aspersis discant verè iucundari, [vt Aug. l.2. confess. c.2.] Nonò,
2.Cor.12 vt virtus in infirmitate perficiatur, & meritum cre-

crescat; nam *tribulatio patientiam operatur*. Rom.5.
[Lege Orig. hom.14. in Num.] quare fortiores fiunt; vt arbores, cùm à ventis agitantur. [Chrys. hom.29. ad Hebr.] Hinc iusti assimilantur auro, impij paleæ; hæc enim igne comburitur, & aqua marcescit; aurum autem purgatur, & roboratur: sic iusti in rebus secundis, & aduersis perficiuntur, [vt Chrys. hom.4. ad pop.] Decimò, vt peccatorum maculas purgent, si quæ supersunt; id enim in hac vita cum merito fit, & mitius quam in Purgatorio. Hinc Augustinus orabat, *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas*: & Habac. 3. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis*, &c. idest in die Iudicij vniuersalis, [vt ibi Hieron. & apertius in lib.2. contra Pelagianos.] Vndecimò, vt compertum sit eos fortiores euasisse sacramento, & item esse filios Dei; hic enim *flagellat omnem filium, quem recipit*. [Chrys. Heb.12.
hom.29. ad Hebr.] Duodecimò, vt dæmonem à se discessisse intelligant, cum vincunt. Decimotertiò, vt vel ex hoc discant thesauros sibi creditos esse; aliàs enim non eos persequerentur dæmones: & item hos à se victos; nam dæmon solet tentare eos, à quibus percutitur, [vt Chrys. hom.43. in primam ad Cor.] Ad hæc, quia sæuire magis conatur in meliores. [Greg. in lib.3. mor. c.6. Hiero. in 19. Ezec.] hinc Habac. 1. *Esca eius electa*: Quod quidem figuratur Ezech.47. in aqua illa, quæ vsque ad talos peruenit. Decimoquartò, vt discant alijs compati, & auxiliari, nam *qui non tenta-* Eccl.34.

tur quid scit? & hoc de Christo Domino etiam testatur Apostolus ad Hebr. 2. vt paulò antè notaui. Decimoquintò, vt demisso animo sint: omnibus se humilient, & non confidant in proprijs viribus; discunt enim in tentatione, quòd

2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; idq. in primis in aliorum correptione, vt supra monuimus ex Apostolo ad Gal. 6. Decimosextò denique, vt coronæ præmium augeatur; quod æternum est, & maximum; tentatio autem momentanea, & leuis 2. Cor. 4.

Auctores de hac re consulēdi. [De his lege plura apud Chrys. hom. 5. ad pop. & hom. 13. in Matth. & 19. ad Hebr. Gregor. l. 5. Mor. c. 1. & l. 4. c. 10. Aug. in Psal. 60. Bon. Opusc. tom. 2. Ant. p. 1. tit. 6. c. 13. §. 2. Rossign. l. 2. de disciplina Christianæ perfectionis c. 31. & seq. & nos l. 2. tract. 2. c. 22.

De ijs, quæ conferunt ad conseruandam fidem Catholicam. Cap. III.

Remedia contra fidei tentationes. Luc. 17. CVm tentationes contra fidem incipientibus molestæ esse soleant; admonendi sunt, vt eas Confessario detegant; & cum Apostolis assiduè precentur, *Domine adauge nobis fidem:* sic enim statim euanescent, & in nihilum decident hostis conatus: Contra curiositatem verò superfluam his telis vtantur.

Primum Eccl. 3. *Altiora te ne quæsieris.* Item Isa. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Secundum, Gregor. hom. 26. in Euang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præ-*

bet

bet experimentum.

Tertium, Bern. epist. 190. *Quid magis contra rationem, quàm ratione rationem conari trăscendere? & quid magis contra fidem, quàm credere nolle, quidquid non possis ratione attingere?*

Quartum, ex Basil. in Psal. 110. *Primarum propositionum impossibile est inquirere demonstrationes.*

Quintum, ex Aug. l. 21. de Ciuit. c. 7. *In rebus miris summa credendi ratio est omnipotentia Creatoris.* Item, *Demus oportet Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse.* & epist. 3. *Tota ratio facti est potentia facientis.* Sic Abraham credidit Deo, Gen. 22. sic hactenus omnes Sancti; nam Deus fidelis est, & decipi non potest; *& vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* [Lege Aug. l. 21. de Ciuit. Dei. D. Thom. 2. 2. q. 167. & quæ nos paulò ante de tentationum remedijs, & lib. 2. tract. 1. c. 2. & tract. 2. cap. 15. & Bonau. in Pharetræ l. 2. & Dieta salutis. tit. 5. Anton. par. 2. tit. 12. cap. 7.] *Ioan. 1.*

De Remedijs contra Blasphemiam. Cap. IV.

PRoderit, vt quisque ab hoc peccato abhorreat, diligenter perpendere.

Blasphemiæ vitandæ ratio.

Primum, quam graue peccatum sit; est enim maius homicidio: atque adeo, vt iusti ne nominare quidem audeant, [vt patet Iob cap. 1. & 3. reg. 22. vt notant Olymp. & Didymus.]

Adde quòd blasphemia hæreticalis, cum assensu intellectus, continet hæresim, & reseruatur in Bulla Cœnæ.

Secundò, quam sit iniustum crimen, & contra rationem; quia est immediatè contra Creatorem, in quo *viuimus, mouemur, & sumus*, & à quo bona omnia expectamus. *Act. 17.*

Tertiò, quàm inutile delictum omnino sit, immo perniciosum; *Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis*. *Ad Heb. 10.*

Quartò, quantum scandalum det etiam infidelibus.

Quintò, quàm periculosum sit: nam etiam in hac vita vindicare hanc iniuriam Deus solet, [vt in Sennacherib. 4. Reg. 19. In Antiocho. 2. Machab. 2. & alijs Num. 16. liquidò apparet. Lege Orig hom. 14. in Leu. Greg. 4. dial. c. 18. Chrys. in Psal. 95. & 144. & decret. in cap. *Statuimus*. de maledicis.]

Sextò, iuuat etiam vitare occasiones; nimirum ludos, iuramenta, prauas consuetudines, &c.

Septimò, examen particulare quotidie adhibere, & grauem pœnitentiam sponte assumere.

Confessarius in blasphemos sit seuerus.

Octauò, Confessarius non absoluat, nisi imposita primum grauissima pœnitentia, [iuxta decretum Concilij Lateranen. sub Leone X. sess. 9. §. *ad abolendam*. cuius meminit Nauar. cap. 12. num 83.] & præcipuè iniungat diuinas laudes, & orationes, officium, coronam, &c. vt sæpe terram osculetur, vt benedicat Deum, & Sanctos: dicat *Gloria Patri, &c.* corrigat blasphe-



phemantes; & in primis obliget ad frequentem vsum confessionis, & Eucharistiæ. In eos verò, qui factis Deum blasphemant, & alios ad idem inducunt, Orig. inuehitur [hom.17. in Num. & Chrys.hom.29.in Genes.& hom.8. ad Rom.Anton.2.par.tit.8.cap.7.] *Rom. 2.*

Periuros autem eadem ferè iuuabunt remedia. Illi verò, qui consueti sunt temere iurare, cogitent. Primum, se de omni verbo otioso redditurος esse rationem in die Iudicij [Matt.12.] Secundò consilium esse Domini nunquam iurare; [Matth.5. & Iacob.epist.cap.5.] propter periculum periurij: difficile enim est omnes comites semper adhibere, nempe veritatem, iustitiam, & iudicium. [Chrys.hom.8. ad popul.] Tertiò, quia nulla in eo vtilitas: nam iuranti fides non habetur. [Chrysost. ibid. & hom.14. 15.& 19.ad popul.& hom.9.in Acta.Anton.par. 2.tit.10.cap.7.] Remedia p temere iurantibus.

De remedijs pro ijs, qui parentes, & superiores non reuerentur. Cap. V.

MEditentur eos locum Dei tenere: Deinde quanta eorum causa passi sunt, & patiuntur. [Tob.4. Ad Hebr.15.] Tertiò, mercedem promissam. [Exod.20. ad Ephes.6. & alibi.] *Vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram*: adde quod obedientes maxima pace, & quiete fruuntur. Quartò, exemplo Christi Domini, [de quo Luc.2. ad Phil.2. & 5.] item exemplo Sanctorum. Quintò, ex animaduersione Dei cõtra inobedientes iuuari etiam poterunt. [De Quę pietatem, atque obedictiam in parentes iuuent.

qua Genes.26. 27. Item 1.Reg.4. & 2.Reg.18. Num.12. & 16. Eccl. 3. Plura de obedientia lege apud Chrys.hom.10.in epist.1.ad Thess.& alibi. Greg.31.Moral. cap.10. Cassian.lib.12. Inst.cap.32. De pietate denique erga parentes, Basil.hom.8.in Examer. Lege Bonau. in Biblia pauperum.cap.62.tom.2.Opusc. & tom.3. de decem præceptis. Anton. par.4.tit.5. cap.9. §. 1. & 2.]

Auctores cõsulendi.

De remedijs contra Detractionem, & alia peccata linguæ. Cap. VI.

COgitet primum detractor, an velit sibi sic detrahi, vt detrahit ipse alijs, famam, & existimationem eorum lædendo; & statuat Tobiæ monita sequi, qui ait, *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias:* & item D.Petri. epist.1. cap.2. qui omnes detractiones prohibet. Secundò, quod nulla ex detractione vtilitas, sed potius incommoda multa sequuntur: Nam præter culpam, & reatum pœnæ, quem incurrit; tenetur etiam restituere famam detractor, eiusque fautores: & item sibi acquirit nomen calumniatoris: facit etiam audientem peiorem, & eum, cui detrahit, inimicum; lædit etiam Ecclesiam: quia crescente infamia, deluditur gens Christiana, & sic Dei nomen blasphematur. Denique de his omnibus reddet ipse Domino rationem. Cœlare ergo potius oportet peccata proximi, nisi vrgeat necessitas, vel vtilitas, ne blasphemetur Deus, & ne fratres fiant segniores, [Chrys.hom.29.

Tob.4.

Sap.1.

Detractionis mala.

Tol. l. 5. c. 68. & seq.

Rom. 2.

in

in Gen. Plura etiam apud eundem in hanc sententiam leges hom. 30. & 31. ad pop. hom. 1. in epist. ad Hebr. & 43 in Matth.] Hinc aspidi, & serpenti comparatur: nam Eccl. 10. *Si mordeat*, inquit, *serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit*: & Psal. 13. *Venenum aspidum sub labijs eorum*: quia scilicet morsus verbi animum inficit, [vt Orig. lib. 3. in epist. ad Rom. Chrys. hom. 79. ad pop. in fin.] Adde quod D. Bern. dicit esse similem viperæ: detractor enim vno flatu tres inficit: nempe se ipsum, & illum de quo loquitur, & audientem, propter scandalum: eademq; de causa assimilatur gladio acuto, propterea quòd tres vno ictu confodiat: Meritò igitur *sepulcrum patens est guttur eorum*: nam, vt Orig. exponit, verbum Diaboli quasi de sepulcro exit; nam ex ore detractoris egreditur: dicitur autem patens propter impudentiam. Adde quod moritur, vt apis, cum mordet verbis suis: [Chrys. hom. 10. in epist. 1. ad Thessal. & serm. 8. in epist. ad Rom.] *Cum murmuras*, inquit, *canum emittis ab ore, quo fratrem maculas: iaculum, quo tuam ipsius carnem feris; & , si conuicio conuicium tollis, fratrem cadentem sequeris, & ruis: cum tamen manum porrigere debeas, vt illum liberes*. Præterea ibidem sic ait: *Vulnerauit illum furor, noli tu quoque eum vulnerare*: & serm. 12. ibidem, & Psal. 49. *Detractionē contra te audiens, lauda detractorem, & sic vindictam sumes, & recuperabis honorem*; & hom. 14. ad Ephes. *Qui fratrem offendit, contristat Spiritum sanctum, & Deum spernit, non hominem*.

Detractor similis Aspidi.

Viperæ.

Psal. 5.

Et Api mordenti.

Remedia contra detractionem.

nem : vt docet Apostolus [1. ad Thess. 4. & ad Ephes. 4.] Item, *Turpe, & contumeliosum verbum proferens in fratrem, patrem eius Deum offendit, & seipsum : nam os dignum factum Dei laude, & cibo cæli, turpatur turpiloquio, & quasi vas mensæ regiæ luto fœdatur : remedium est precatio cum pœnitentia*. [Simile super Psal. 140. & hom. 6. in 2. ad Cor.] Neque verò prætteribo, quæ idem Pater scribit super Psalm. 49. in fin. vbi ait: *Detractor est, vt scarabæus, qui lutum, & fœtorem fert, eoq. nutritur; vt hirudo sugit sanguinem fratris : esto igitur tu potius, vt apis, quæ colligit ex spinis flores; &c. & sic inimicum laudans, te excusabis melius*. Hæc ex Chrysost. Hinc illud Menandri dictum: *Infelix sis potius, quam maledicus* : quod verum est, modo ne sis alijs peccatis sauciatus : nihil enim interest vtrum hoc, an alio vulnere intereas. Quare audias consilium Sapientis, qui ait : *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ : quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem, quod mentitur, occidit animam*. Hinc Num. 12. Maria punitur lepra: item plectuntur morte quatuordecim millia, & septingenti. Numer. 16. vt alios omittam. [Lege Gregor. lib. 7. moral. cap. 17. & hom. 9. in Ezech. Chrys. hom. 3. ad pop. Bonau. opusc. Biblia pauperum. c. 71. Anton. p. 2. tit. 8. c. 4.] Consideret ergo quisque sua ipsius vitia, & primum auferat *trabem de oculo* suo; deinde eijciet *festucam de oculo fratris* sui.

Scarabæus. Hirudo. Sap. 1. Matt. 7.

2 Susurrones item moneat, vt per pœniten-

tiam resipiscant; ne à Deo maledicti citius arescant, quam ficus Euangelica: nam *Susurro & bilinguis maledictus*, propterea quod Domini præceptum transgreditur. Leu. 19. *Non erit criminator, nec susurro in populo*. & Prou. 6. detestatur eum, *qui seminat inter fratres discordias*. Ad hæc sciant se rationem Deo reddituros omnium iurgiorum, & malorum, quæ inde nascentur: quoniam, vt ait Sapiens Prou. 26. *Susurrone subtracto iurgia conquiescunt*. [Lege Greg. Past. par. 3. adm. 23. 24. Cassian. collat. 11. cap. 9. & collat. 19. cap. 14. Ant. loc. cit. cap. 5.]

Quomodo iuuandi susurrones. *Mat. 21. Eccle. 28.*

3 Eos verò, qui proximum derident, vel subsannant, id est verbo, vel gestu deludunt, doceat id esse contra charitatem; propterea conqueritur Iob cap. 24. *Deridetur iusti simplicitas*. Verumtamen hi deludentur à Deo: nam ipse *Deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam*.

Derisores. *Prou. 3.*

4 Ex his sequitur, multo seuerius agendum esse cum ijs, qui contumelia afficiunt fratrem: nam Prou. 20. *Omnes stulti miscentur contumelijs*: & Dominus Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*: & Apostolus ad Rom. 1. etiam docet huiusmodi homines esse dignos morte. Adiungo item, quod præter culpam, & reatum pœnæ, contrahunt etiam obligationem restitutionis. [Lege Greg. 21. Moral. cap. 4. Chrysost. hom. 14. in epist. ad Ephes.]

Cótumeliosi.

5 Ij denique qui proximo maledicunt, audiant Apostolum ad Rom. 12. *Benedicite, & nolite maledicere*: nam *Deus est linguæ eorum auditor*.

Maledici.

ditor. Sap.1. [Lege Anton.par.2.tit.7. cap.5.] Ad omnia autem hæc linguæ peccata vitanda, optimum remedium est linguam compescere: quod quomodo fieri possit, ac debeat, deinceps exponam.

Lingua compescenda.

De necessitate, ac modo frænandi linguam, deq. vtilitate Silentij. Cap. VII.

Moderādi linguā necessitas.

LInguam esse homini maxime continendam, rationisq. fræno perpetuo frenandam, nemo est sanæ mentis, qui neget: id enim etiam antiqui Philosophi cognouerunt, in quibus vix aliqua virtutis species inerat. Hinc Pythagoras per quinquennium discipulis loqui prohibebat, vt loqui discerent, [de quo Ambros. lib. 1. Officiorum, cap.10.] & Seneca auribus frequentius vtendum esse dicebat, quam lingua: *quod qui nescit tacere, nesciat loqui*. Bias item dicebat, *cito loqui esse insaniæ indicium*. Verum quid riuulos consector, cum fontem veritatis à Deo habeamus? Audi igitur Sapientem, qui ait Eccl.28. *Verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos: & attende, ne forte labaris in lingua tua*: & cap.4. *In multis sermonibus inuenitur stultitia*: & Prou. 25. *Sicut vrbs patens absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*. Denique (vt alia omittam) Iacob. 3. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*: propterea D. Ambros. [lib. 1. Officiorum cap.10.] *Primum*, inquit, *officium est, linguæ moderatio*; idemq. alij sancti Patres docuere.

2 Eo autem diligentius id curandum, quo difficilius esse experimur; nam Eccl. 19. ait Sapiens: *Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti*. & cap. 14. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo*. item cap. 19. *Quis est, qui non delinquat in lingua sua?* & Dauid in Psal. 140. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*. Similiter Eccl. 26. suadet Sapiens, *Ori tuo facito ostium, & seram, & verbis tuis iugum, & stateram*: Nec immerito; nam, vt ait D. Iacob. cap. 3. *Si quis non offendit verbo, hic perfectus est vir; potens etiam fræno circumducere totum corpus*: & item asserit, feras domari ab homine; linguam autem nullum hominum domare posse: quod exponẽs Aug. [lib. de natura, & gratia contra Pelag. & serm. 4. de verbis Domini,] sic ait: *Conetur ergo anima domare linguam: & dum conatur poscat auxilium, & oret lingua, vt dometur lingua, ne occidat animam: Domini enim solius est moderare linguam*. Hinc etiã Bernar. [serm. de triplici custodia.] *Tenerum*, inquit, *membrum lingua, attamen vix teneri potest*. item ait: *est substantia paruum, sed vsu magnum, & validum*: quapropter Ambr. lib. 1. Officiorum: *Tacere*, inquit, *nosse, quam loqui difficilius est*.

Eiusdem frenandi difficultas.

Sap. 1. Prou. 16.

3 Quod nisi frænetur lingua, est causa multorum malorum: vt patet experientia, & scriptura testatur, & sapientes docent. Hinc Prouer. 10. *In multiloquio non deest peccatum*, & cap. 12. *Propter peccata labiorum, ruina proximat malo*: & cap. 17. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum*: quia, vt ait ibidem Hieron.

Effrænis linguæ peccata, & dãna.

qui

qui linguam non refrænat, concordiam dissipat. Item cap. 18. *Mors, & vita in manibus linguæ.* & cap. 13. & 21. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suã:* & denique cap. 26. *Os lubricum operatur ruinas.* Item, *qui imponit iusto silentium, iras mitigat.* Præterea Eccl. 9. *Terribilis est in ciuitate homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis.* & cap. 20. *Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pauimento cadens, sic casus malorum festinanter venient:* & cap. 23. *Indisciplinatæ loquelæ os tuũ non assuescat; est enim in illa verbum peccati:* & cap. 28. *Multi ceciderũt in ore gladij, sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam;* id est, *Maiora sunt vulnera linguæ, quàm gladij;* vt August. serm. 45. ad fratres in eremo. Hinc Psal. 56. *Lingua eorum gladius acutus:* & Psal. 143. *De gladio maligno eripe me:* hoc est, *quo homines loquuntur vanitatem: est enim etiam gladius benignus, quo Deus loquitur veritatem, quem Christus venit*
Matt. 10 *mittere in terram:* hæc Aug. in Psal. dictum.
Iacob. 3. Item, *Lingua ignis est vniuersitas iniquitatis: nam maculat totum corpus, & inflammata à gehenna,* idest à demone, *inflammat rotam natiuitatis nostræ,* hoc est totam vitam; & denique Paulus Apostolus ex Menandro, 1. Cor. 15. ait, *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Ad hæc Basil. hom. 9. in Psal. 33. *Vita,* inquit, *nostra referta est linguæ delictis:* & Orig. l. 3. in Iob, *Lingua, seu sermo est causa multorum peccatorum:* & Chrys. hom. 4. var. linguam dicit esse *instrumentum Diaboli, & peccati;* & prop-

& propterea custodiendam intra duos muros, idest, intra dentes, & labia, &c. & subdit: *Si ergo tot Sancti conqueruntur, timent, orant, linguam custodiunt, & continent: quid nos agere oportet?* & Aug. serm. 45. ad fratres in eremo: *Isaias non potest prophetare, quòd habeat immunda labia*, &c. purgantur autem per ignis vstionem, vt notat Orig. hom. 4. in Isai. cap 6. Postremò Menander, *Lingua*, inquit, *multorum est causa malorum*. [Lege Greg. Past. par. 3. adm. 15. Vgonem lib. 2. de anima.]

4 Linguæ custodia apprime necessaria est ad obseruandam legem Dei, & ad virtutes omnes comparandas. Hinc Dauid Psalm. 38. *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*; quia scilicet hæc est causa multorum peccatorum, vt ibidem Orig. Propterea D. Ambros. lib. 1. Officiorum cap. 20. *Si audias*, inquit, *custodies vias tuas, & ex verbis tuis iustificaberis*. Hinc Deut. 6. *Audi, & non delinques in lingua tua*; &c. Propterea etiam laudatur sponsa, Cant. 4. *Vitta coccinea labia tua sponsa*: nam verba otiosa cauebat: [vt notat Bernar. tract. de passione Domini, c. 31.] Item Iacob. 1. *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam*, &c. *huius vana est religio*. & cap. 3. *Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir*. Ad hæc Basil. hom. 9. in Psal. 33. *Lingua*, inquit, *est lena, & scutum peccati*: & Cassiod. ait, *Facilius culpa refugitur tacendo, quam loquendo: quia in multiloquio non deest peccatum*.

Linguæ custodia cõfert ad seruãdã Dei legẽ.

Mat. 12.

Prou. 10.

5 Confert ad beatitudinem, etiam huius

vitæ.

Et ad beatitudinem, etiã huius vitæ. vitæ. nam Psal.33. dicit Dauid: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum*. Item Eccl.14. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo*: & Iacob. 3. *hic beatus in suo facto erit*; Propterea Hieron. epist. 14. ad Celantiam, *Ecce*, inquit, *quòd in frænatione linguæ beatitudo ponitur*: & in Psal.38. *Beatum hominem oris custodia facit*. Adde quòd, *Qui custodit os suum, custodit animã suam*; & item: *Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit*; & Isa.30. *In silentio, & spe erit fortitudo tua*. Præterea, quoniam bona hominis existimatio pendet ex verbis: hinc Prou.17. *Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur*: & Eccl.10. *Stultus verba multiplicat*. & cap.20. *Est odibilis qui procax est in loquendo*; & item Hier. in epist. ad Principiam, *Cognoscitur ex verbis cogitatio*; *nam ex abundantia cordis os loquitur*. Idem Aug. serm.3. ad fratres in eremo. Arist. denique 4. Ethicorum, *Qualis*, inquit, *quisque est, talia dicit*.

Prou.13. Eccl.10.

Tempus tacendi, & tẽpus loquẽdi. 6 Restat postremo, vt dicamus de silentio, ac de linguæ moderatione; ne quis fortè, quæ hactenus contra vitia linguæ dicta sunt, ita intelligenda esse putet, quasi semper sit tacendum: nam etiam in silentio, si nimium sit, vitium inesse potest, vt docet D. Ambros. lib.1. Offic. c.3. cùm ait, *Ideo non silentium perpetuum, sed custodiam oris Dauid indixit: qui & ostium labijs petijt*, Idemq. suadet Sapiens, cùm facere ori ostium iubet, & verbis stateram, nimirum, vt claudatur, & aperiatur cùm opor-

Psal. 44. Eccl. 28.

oportet: statera autem est humilitas; libra, iustitiæ examina, vt veritas in verbis, grauitas in sensu. [Idem Aug. in Psalm. 140. & Gregor. 7. mor. c. 17. Orig. in Psal. 38. Chrys. hom. 4. varia.] Ad hæc Ambr. in Psalm. 118. [Sedet solitarius, & tacens: leuabit se supra se:] *Nempe, vt prius loqui discat, quàm loquatur.* Hinc Eccles. 11. *In medio seniorum ne adijcias loqui:* & cap. 3. *Audi tacens simul, & quærens:* quapropter Isaias non clamat, antequam discat quid debeat clamare: Præterea Greg. 30. Moral. *Ille*, inquit, *scit rectè dicere, qui ordinatè nouit tacere:* Hinc Bias ait, *Pulchrum est taciturnitas:* & Menander, *Multis*, inquit, *responsum, silentium est.* Item, *Linguæ maximè vbique conare imperare.* Sed omittamus Philosophos: audi Aug. qui super Psal. 16. [*vt non loquatur os meum opera hominum,*] ait, *Id est, non aliud, quàm quod pertinet ad gloriam, & laudem ipsius:* & super Psalm. 38. [*posui ori meo custodiam;*] *Statuit*, inquit, *tacere, ne pœniteret:* Nam, vt ait ille, *numquam tacuisse nocet, nocet esse locutum.* Item in Psalm. 139. [*Vir linguosus non dirigetur in terra.*] *Quia scilicet*, inquit Aug. *non attendit quid loquitur. Sit ergo tardus ad loquendum, & delectetur audire; & loquatur solum cùm necessitas, & charitas cogit*, &c. Item in tract. de conflictu vitiorum ait, *Cùm in multiloquio non desit peccatum, quia saltem otiosa misceentur, tenendus est modus in loquendo; & ab ipsis etiam vtilibus verbis parcendum est nonnunquam;* iuxta Psal. 38. *Humiliatus sum, & si-*

Thren. 1.

Isa. 40.

Auctoritates variæ de Silentio, & consideratione in loquêdo.

Ab vtilibus verbis interdũ abstinendum.

& silui à bonis. Hæc Aug. Lege etiam ser. 31 eiusdem ad Fratres in eremo: Simillimè Greg. lib. 5. Moral. cap. 11. *Quod leuis conscientia concipit, leuior protinus lingua prodit*. & l. 7. c. 17. *In ventum*, inquit, *verba proferre, est otiosa dicere: nam dum otiosa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus*. simile Isidor. Item in l. 3. Mor. c. 4. [*Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit,*] dicit Greg. *Quasi vas sine operculo, & ligatura polluitur, qui per studium ostentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur*. Idem in Psalm. 50. [*Domine labia mea aperies,*] *Hactenus*, inquit, *ego aperui*, &c. *ideo ex vaniloquio peccatum contraxit; nunc opto, vt tu aperias*, &c. & paulò post. *Illius labia Deus aperit; qui non solùm, quid loquitur, sed etiam qualiter, & vbi, & cui loquatur, attendit*. Idem Ambros. Hinc Isa. 50. [*Dominus mihi dedit linguam eruditam*.] Et Eccles. 20. [*Vir sapiens tacebit vsque ad tempus*.] *Proferamus ergo sermones examinatos libra iustitiæ: & quia non valemus, dicamus, Domine labia mea aperies*. Similia Orig. hom. 3. in Exod. ait enim: *Beati sunt, quorum Deus os aperit, vt loquantur*: vt Moysi Exod. 3. & Dauidi dicit, *Dilata os tuum, & implebo illud*: & Paul. ad Ephes. 3. [*Vt detur mihi sermo in adapertione oris*:] *Eorum ergo, qui verba Dei loquuntur, os Deus aperit; vereor tamen, ne sint aliqui, quorum è contrario os Diabolus aperit*: Et infra: *Aperit ergo Deus & os, & aures, & oculos: vt vel loquamur, vel cernamus, vel audiamus,*

Num. 19

Os nostrû Deo aperiendum.

Psal. 80.

4. Reg. 4.

Isa. 50.

Gen. 21.

qua

quæ Dei sunt, &c. Item hom.5. super Psal.36. [*Os iusti meditabitur sapientiam:*] & Prou.31. [*Aperi os tuum verbo Dei :*] & Deut. 6. *Loqueris hæc sedens in domo tua , & pergens in via, & iacens, & surgens :*] *Reuera enim, nec debet procedere aliud de ore iusti, nisi Sapientia: si igitur Christum semper loquamini* , &c. *dignè os vestrum meditabitur sapiētiam:* [*& lingua eius loquetur iudicium;*] *cùm scilicet prudenter loquitur , non ex passione* , &c. vel certè loquetur iudicium; cùm loquitur de finali iudicio , de pœnis inferni , &c. Hæc ex Orig. Similiter D. Hieron. epist. ad Principiam, [*Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis:*] *inquit Dauid : Nam debemus præparare linguam, vt per illam quasi calamo scribat Spiritus sanctus in corde, & auribus audientium.* Et item Aug. in Psalm.34. [*Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam:*] *Suggero,* inquit, *medium: quidquid agis , bene age , & laudasti Deum.* Ad hæc Bern.in Speculo Monachorum: *Antequam proferat verba , bis ad limam veniant, quàm semel ad linguam :* & paulò post : *Nihil proferat, quod non ædificet* , &c. *& nemo dubitet cùm eum audierit, quòd verè sit religiosus :* & Chrys. hom.2. in 2. ad Thessal. *Quod est,* inquit , *in naui ventus , hoc animæ sermo ; si enim bonus fuerit , ad bonum ducetur ,* &c. *Anima liquescit sermone bono , vt cera igne , durescit malo : sit ergo, vt monet Sapiens , omnis narratio tua in præceptis Altissimi :* Item , vt idem Chrys. hom.17. ad Ephes. *Sermo iocosus animam relaxat , & debilitat ; bonus verò*

De quibus loquendū.

Psal. 44.

Eccl. 9.

immutat, & contrahit. Hinc Petrus: *Si quis lo-*
1. Pet.4. *quitur quasi sermones Dei:* & Paulus ad Eph. 4. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Item ad Coloss.4. *Sermo vester sit sale conditus:* & Prou.4. ait Sapiens, *Remoue à te os prauum,* & cap.10. *Vena vitæ os iusti,* & cap.12. *De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis.* [Lege Bern. lib.2. de consideratione ad Eugenium, cuius verba retulimus tract.2. c.3. in fine.] Hinc Chrys. hom.2. in Matth. *Lingua,* inquit, *data ad laudandum Deum; & tamen pensa ex verbis diurnis, quot fuerint spiritualia: immo quot non vana.* Item hom.9. in Acta; *Psittacus nobilitatur, quia loquitur hominis lingua: sic nos si loquamur sicut Apostoli, sicut Angeli,* &c. Orig. hom.4. in c.7. Isa. [*tetigit os meum,*] ait, *Si nihil eorum, quæ interdicta sunt loquor, possum dicere, tetigit os meum.* Item Ambros. 1. Offic. cap.4. & super Psal.90. [*& à verbo aspero,*] *cùm quis malè loquitur dæmon excipit, & suo gladio vulnerat, laqueum stringit: cùm ergo sentis illum adesse, tunc tantò magis custodi os.* [Lege Bonau. in Biblia pauperum c.96. Anton. p.3. tit.16. cap.8. §.7. Climac. grad.11.] Sed de his hactenus: nam pluribus fortasse, quàm oportet, de lingua loquutus, & de sermone sermonem protraxisse alicui videbor. At mihi tamen videor pauca dixisse ad ea, quæ res hæc tam latè patens requirebat: cùm nullum sit hominum genus, nulla fermè ætas (prima infantia excepta), nulla familia, quæ huiusmodi institutionibus non indigeat: Omnes enim lingua labimur,

Omnes lingua labimur.

omnes

omnes verbo offendimus; & tamen cùm linguæ peccata non præseferant tantam turpitudinem, quantam pleraque alia flagitia; putant homines, in hoc genere licere sibi nauiter esse impudentes. Assiduis ergo, & accensis spiritu precibus, auxilium imploremus illius, cuius vnius est moderari linguam: vt ignito calculo labia nostra, sicut olim Isaiæ, purificare dignetur; quo deinceps os nostrum meditetur sapientiam, & lingua nostra loquatur iudicium.

De remedijs contra Superbiam, & Vanam gloriam. Cap. VIII.

AD superbiam deprimendam in primis iuuabit, vt assidue superbus meditetur, quam sit vilis corpore. & animo: & quod de minimis extollitur, cùm multos habeat superiores. Superb⁹ cogitet, quam sit vilis.

2 Quod quidquid habet boni à Deo est: quid ergo gloriatur quasi non acceperit? reliqua autem vana, & transitoria sunt, vel imperfecta: *Omnes enim iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ*. Omnia esse à Deo. 1. *Cor*.4. *Isa*. 64.

3 Per superbiam hominem reddi contemptibilem hominibus: & Deo odibilem: nam *Deus superbis resistit*: Iacob.4. [Cassian. l.11. c.7.] eosq. punit: vt clarè patet in Lucifero Isa.14. in Saule. 1.Reg.15. Roboã. 2.Reg.12. Nabuchodonosor, Dan.4. Aman. Esther.7. Antiocho. 2.Machab.9. & alijs multis. Item illos maledicit. 2 Reg.1. &c. Esse se odibilẽ, & contẽptibilẽ. Priuari bonis spiritualibus.

4 Cogitet priuari superbum bonis spiritualibus;

Eccl.10. libus; immò fieri ad illa ineptum: quia *Initium omnis peccati est superbia:* & propterea dicitur regina, & mater vitiorum à Gregor. l.31. mor. c.17. & omnibus virtutibus contraria, l.34. Moral. cap.18. Hinc Aug. lib.11. de Gen. ad lit. c.14. ait ex superbia oriri hæreses. [Lege D.Thom.2.2. q.162. art.8.] Hinc præterea fit, vt superbia sit signum reprobationis: vt Greg.c.18. iam notato.

Nihil boni per superbiã. 5 Nihil boni per illam lucrari: quorsum enim se quis magnum ducit; & vult ab alijs magni fieri, si propterea contemnitur, sicq. Matt.23 suo frustratur desiderio? nam *Qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Adde quòd, *Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat;* vt docet Apostolus, 2.Cor.10.

Exemplũ Christi, & Sanctorum. 6 Exemplum Christi, & Sanctorum: nam Dominus *humiliauit semetipsum*, ad Phil.2. nosq. ad idem monet Matth.11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* [Greg.l.34. Mor. c.18. Basil. hom. de humil.]

Actus humilitatis exerceat. 7 Exerceat actus humilitatis, idest, visitet infirmos; seruiat hospitali, versetur libenter cum pauperibus; oret prostratus; vel saltem genibus flexis; osculetur terram, seipsum conuicijs insectetur, vt solebat S.Franciscus; in conuersatione, victu, vestitu, & reliqua supellectili modestiam præseferat: eademq. ferè iniungi possunt in pœnitentiam à Confessario. [Lege Chrys. hom.3. in Acta, & 66. in Matth. & item hom. 38. 39. 43. 44. 73. ad populum. hom.17. in epist. ad Rom. & hom. 1. in epist.

ad Ti-

ad Titum. Greg. l.34. mor. c.vlt. & Paſt.p.3. adm.36. & Caſſia. l.12.Inſtit. c.11.]

8 Contra vanam gloriam præter ea, quæ iam dixi, cogitet quam ſit vana: Tantus etenim quiſque eſt, quantus à Deo habetur; vanus autem deſerto ſecreto conſcientiæ, foris vult videri, quod non eſt: vt Aug.l.2. de Gen. contra Manich. c.5. Item in externis imitatur virtutes; vt idem tract.8. in epiſt.1.Ioan. Vnde oritur deceptio: nam opera noſtra non ſunt talia coram Deo, qualia videntur hominibus: vt Greg. l.5. Mor. c.8. Inanis gloriæ vanitas.

9 Sedulo ſecum reputet, quàm ſit hominibus ludibrio, fructumq. bonorum operum perdat: nam *Receperunt mercedem ſuam*. Cùm verò parua eſt vanitas, offuſcat ſplendorem virtutis; propterea dicitur expoliatrix bonorum operum, & iucundus hoſtis, à Baſil. c.10. Conſtit. monaſt. nam facit nos operarios iniquitatis: vt idem Baſil. in Reg. breu. c.282. Item impedit, ne Deus influat in animam dona ſua: Iacob.5. *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam abinuicem accipitis?* Adde quòd eſt cauſa tepiditatis: vt Greg. l.29. mor. c.15. & Chryſ. l.5. de Sacerd. Per illā perditur merces operum. *Matth.6* Impeditur diuinus influxus.

10 Quòd ſtatus noſter in hac vita eſt contemptus, & laboris, non gloriæ, vt Bernard. ſerm.3. paruo.

11 Dum ſectatur hominum laudem, quaſi puerorum, relinquit laudem Dei, & Sanctorum: Chryſ. hom.17. ad Rom. & hom 4.& 59. in Matth. Amittitur diuina laus.

12 Nunquam ſe laudet, vt Prou. 27. *Laudet*

Abscondātur bona opera. *det te os alienum, & non os tuum*: Immo conetur abscondere ea, quæ in seipso digna sunt laude: & oblatam laudem Deo statim offerat; qui omnium bonorum auctor est: vt Psal. 113. *Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam*: Immo doleat cùm laudatur: vt Greg. l. 26. Mor. c. 23. Item exemplo Augustini, vt patet l. 10. Confessionum c. 37. vbi etiam dicit, *Oportere delectari magis ipsa veritate, quàm laudibus*.

Fugiendi adulatores. 13 Fugiat adulatores, quia *sunt sicut locustæ*; vt Greg. l. 31. Mor. c. 12. Item quoniam *est periculosa tentatio*, vt Aug. l. 10. Confessionum. c. 37. citato. Declinet item alias occasiones: vt Chrys. hom. 35. in primam ad Cor. Ferat insuper, vt oportet, iniurias pro Christo; vt Chrys. hom. 23. in Gen. [Lege plura apud

Auctores de hac re consulendi. eundem hom. 2. ad Tit. hom. 24 in epist. 2. ad Cor. hom. 38. & 39. ad pop. Greg l. 24. Moral. cap. 13. & Past. 3. p. adm. 18. & adm. 26. & 36. Lege Bonau. *in Pharet.* l. 2. c. 6. & *in Centiloquio*. c. 15. tom. 1. opusc. & *in pugna Spirituali*. tom. 3. Anton. p. 2. tit. 3. c. 1. & 2. Ephr. tom. 1. c. 93. Clim. grad. 22. Macar. hom. 15. Doroth. serm. 4. & quæ nos l. 2. tr. 1. c. 22. §. 6. & tr. 2. c. 32.] Hæc de remedijs Superbiæ.

De remedijs contra Confidentiam sui ipsius. Cap. IX.

AD extirpandam ab anima confidentiam, qua scilicet homo nimium suis viribus confidit, iuuat primum considerare illam nasci

ex

ex superbia, qua plus quàm decet sibi attribuit, [vt Greg. l.21. mor. c.2.] & propterea esse impedimentum omnium virtutum. Hinc Prou.10. *Qui confidit in cogitationibus suis, impiè agit.* Item cap.28. *Qui confidit in corde suo stultus est:* & Hier. cap.17. *Maledictus homo, qui confidit in homine:* & item Eccles.6. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus; ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat,* Adde quòd est indicium reprobationis: [vt Greg. l.24.mor. Plura de ea lege apud Chrys. hom.5. & 7. ad Phil. & hom.3. de verbis Isa. Greg. lib.23. moral. cap.4. 9. & 19. & lib.26. cap.1. 25. & 28.]

Confidētia sui oritur ex su pbia.

Est reprobationis indiciū.

2 Quòd Deus, cùm superbis resistat, permittit homines huiusmodi sibi confidentes labi in multa peccata, ad eorum superbiam deprimendam: vt casus Petri Apostoli probat; qui cùm sibi multum confideret, Christum negauit; Matth. c.26. [vt Chrysost. hom.23. in Matth. Theophy. super Mar.14.] Confirmatur exemplo eorum, qui in sua fortitudine, vel exercitu confidentes perierunt: vt liquidò patet in Goliath. 1. Reg.17. in Holoferne. Iudith.2. Nabuchodonosor. Dan.2. in Asa. 2.Paral. 16. in filijs Israel, qui in fortitudine, & numero confidebant. Iud. 20. in Amasia. 2.Paral. 25. & alijs multis: Idemq. in spirituali pugna accidere, asserit Basil. Instit. de vita perfecta: Cassia.l.4. Instit. c.6. Chrys. hom.31. in epist. ad Hebr. D.Thom. 1.2.q.162. art.6.

Facit hominē labi in peccata.

3 Proderit meditari eos etiam spoliari suo fructu,

Priuat fructu bonorum operum. fructu, qui suis ieiunijs, meditationibus, eleemosynis, alijsq. operibus nimis confidunt, [vt probat Basil. Const. monast. c.16. Cassian. Inst. l.12. c.13. & 15.] Sic enim multi ceciderunt; vt Ambr. ep.84. & constat etiam Eccl.6. Prou. c.16. & 29. & item exemplis ex humanis desumptis. 2. Paral.32. & Isa.22.

Omne bonũ est à Deo. 4 Statuendum omnino est, vt nobis diffidamus, omnia bona esse à Deo; omnia enim in nobis ipse operatur: Isa.26. Aug. l. de Gen. ad lit. & præsertim opera gratiæ, seu spiritualia, Ioan.15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; ita & vos, nisi in me manseritis*: & 2. Cor.3. *Sufficientia nostra ex Deo est*. Item Ose.13. *Tantummodo in me auxilium tuum*. [Aug. Soliloq. c.15. & super Psal.31. Greg. hom.12. in Euang. Basil. in Regul.] Propterea confidentes in Deo vincunt hostes: vt liquet ex 1. Paral. cap.5 & 2. Machab. cap.15. Hinc Apostolus ad Philip.4. *Omnia*, inquit, *possum in eo, qui me confortat*. Item ad Rom.8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* & alibi: *Dedit nobis victoriam per Iesum Christum*. Atque ipse Dominus Ioan. 15. ait; *Confidite, ego vici mundum*. Adde quòd diffidentibus sibi conceditur fiducia: [vt Cassia. collat.5. c.4. & 14. Richar. in Cant. cap 21.] Hinc Dauid Psal. 17. *In Deo meo transgrediar murum*: & August l.10. Confess. cap.37. *Da quod iubes, & iube quod vis* Vnum ergo est firmamentum vitæ spiritualis Christus, qui est firma petra, Luc.6. & qui sine eo ædificat, corruit. 1. Cor. c.3. & 10. Hinc sequitur, imperfe-

Confidẽtes in Deo vincunt hostes.

1. Cor. 15

ctas

ctas fuisse infidelium virtutes, quæ hac diffidentia caruerunt; [vt Aug.l.5. de Ciuit.c.12. Lact. l.3. Instit. c.15. Bernar. serm.6. in Cant. Chrys. hom.13. in Matth.]

5 Optimum medium est Oratio assidua, & deuota: Matth.7. *Petite, & accipietis*. [Lege Chrys. l.1. de orando Deo, & quæ nos lib.2. tract.2. c.13.] **Remedium est oratio.**

6 Remedium est agnoscere, ac perpendere propriam imbecillitatem: vt Dauid Psalm.38. exemplo est, cùm ait, *Substantia mea tamquam nihilum ante te*: & Apostolus 2. Cor. c.3. *Non sumus*, inquit, *sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*, &c.& 1.Cor 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum*: [Cassia. lib.12. Instit. c.13. & collat.14. c.6. & 7. Aug. Solil.c.15.] Quisque enim in se expertus est, cùm sibi confidit, cecidisse; & sæpe absque sua industria fuisse diuino lumine illustratum; & item adhibita multa diligentia, & præparatione interdum aridum remansisse, vt intelligamus, *Non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*: qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: *diuidens singulis, prout vult*. Adde, quòd, vt est pijssimus Pater, qui *Flagellat omnem filium, quem recipit*, sæpe consolationem diuinam differt, vel vt probet, vel vt corrigat, vel vt instruat, vel vt vberiorem infundat. [Verum de sui ipsius diffidentia, lege Franciscum Arias, & quæ nos l.2. tr.1. c.12.] **Propriæ infirmitatis cognitio.** *Rom. 9. Iac.4. 1.Cor.12 Hebr.12.*

De

De Remedijs contra Auaritiam.
Cap. X.

Cōtra Auaritiā, consortiū auarorū vitandum: *Act.* 10. *Prou* 19. CONetur Confessarius ex animo pœnitentis auaritiæ radices euellere. Quapropter moneat, vt euitet in primis consuetudinem auarorum: vt versetur cum liberalibus: ne sit lentus in eleemosynam: quia *Beatius est magis dare, quàm accipere:* & sic Domino fœnerari, atque contentum esse paucis. [Greg. l. 15. Mor. c. 13. & Past. p. 3. adm. 21.]

Vitę breuitas cōsideranda. 2 Consideret vitæ breuitatem, & mortem imminentem, [vt monet Dominus Luc. 12. & exponit Hier. in epist. ad Paulinam,] Cùm enim diuitiæ animum non satient, sed potius cupiditatem augeant; vix auarus adduci potest, vt cogitet se esse moriturū, & diuitias suas alienis relicturum; sed solùm, vt eas augeat. [Lege Chrys. hom 11. ad Rom. hom. 13. & 14. in epist. 1. ad Cor. hom. 2. & 13. in epist. ad Ephes. hom. 23. in Ioan. & hom. 21. in Mat. & hom. 13. in Acta.]

Est radix omnium malorū. 3 Cogitet cupiditatem esse radicem omnium malorum. [1. ad Tim. 6. Greg. Past. p. 3. adm. 21.] Hinc enim bella, odia, rixæ, inimicitiæ, inuidiæ, seditiones, aliaq. innumera mala, quæ animum à rebus spiritualibus, atque à Deo auertunt, aut retardant: & propterea *Beati sunt pauperes spiritu:* nam *Difficilè diues intrabit in regnum cælorum:* Diuitiæ enim sunt spinæ, quòd animum vexent, angant, multosq. conscientiæ stimulos adhibeant. [Greg.

Luc. 6. *Matt.* 19.

l. 18.

l.18. mor. c.8.] Hinc Apostolus 1. ad Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli*, &c. [& exponit Greg. l.20.mor. c.12. & l.22. c.2.] Propterea Dominus Matth. 6. *Quærite*, inquit, *primùm regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis*. Item Luc. cap.16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Item: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*: & 1. Petr.5. *Omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis*: [quæ copiose exponit Chrysost. hom.69. in Matth.] quare *Si tua non cures plus æquo, Deus curabit; sin minus, non tantam tui curam habebit*. Chrys. ibidem. Cogitet præterea auaritiam esse Idolorum seruitutem, ad Coloss.3. [& Aug. l.11. de ciuit. cap.25. & l.4. contra Donatistas c.4. & 5.] & denique auarum esse insatiabilem, similem vrsis, & lupis, ac dæmonibus, [vt Chrys. hom.9. in epist. 1. ad Cor. & hom. 23. in 2. ad Cor.] & propterea mercatores vix Deo placere posse putat idem Chrys. [hom.38. in Matth. in imperfecto.]

4 Christi Domini, & Sanctorum exempla ponat ante oculos: Ille enim, vt ait Paulus, *Cùm esset diues*, immò Rex cœli, & terræ, *propter vos egenus factus est, vt illius inopia vos diuites essetis*. Sancti verò suum Ducem, & Dominum imitantes veras diuitias amarunt; terrenas contempserunt, & in Deum diuites esse solùm studuerunt. De quibus Apostolus: *Egentes, angustiati, afflicti*, & de seipso, *In fame, & siti, in frigore, & nuditate*, &c. [Plura de

Christi, & Sanctorum exépla.
2. Cor.8.
Luc.12.
Hebr.11.
2.Cor.11

de paupertatis laudibus Chrysost. hom.74. ad pop. hom.18. & 33.in epist. ad Heb. hom.10.in epist.ad Philip. & hom.11.in epist.ad Thess. & hom.13. in Acta.]

Diues est Oeconomus, non Dñs. 5 Recolat auarus se *œconomum esse bonorum temporalium, non dominum:* [vt Chrys. hom.34. ad pop.] Cogitet item huius peccati pœnas: [Cassia. l.7.Inst. c.14. ex 4.Reg.5. & Act.5. Lege Bonau. opusc. Pharetræ l.2.c.11. Biblia pauperum. c.72. Anton.par.2. tit.1. c.1. & seq.]

Auari pœna.

Quæ penitentia iniungẽda. 6 Denique satisfactionis loco imponi potest eleemosyna diuturna, etsi parua: vt visitet hospitalia, alijsq. bonis operibus incumbat, de quibus lib.2. dicam.

De Remedijs contra Luxuriam. Cap. XI.

Luxuriæ pestis latè grassatur. ETsi Luxuria propter solam turpitudinem, ac detrimenta, quæ affert, suos sectatores satis deterrere potest, & debet, atque ad ipsam detestandam eos permouere: quia tamen voluptas, rationi inimica, impedit consilium, & cæcat animos eorum; propterea tam longè, lateq. progressa est, etiam in Christianos; vt magna hominum pars inflammato animo, ad eam omni impetu, brutorum more, feratur: quapropter remedia tum diuinitus nobis tradita, tum à sapientibus excogitata, diligenter adhibere oportet.

Prodest contra illam Oratio. 1 Igitur Confessarius moneat pœnitentem, vt auctorem puritatis cum fiducia adeat; ab eoq.

eoq. assiduè, deuotè, & humiliter donum castitatis postulet; Nemo enim potest esse continens, nisi Deus dederit; & Dominus, qui castitatis doctrinam è cœlo attulit; *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum istud: sed quibus datum est:* nempe, vt eijciat quis omnes corporis voluptates, quo maiores, idest diuinas consequatur. Vt ergo id illi detur, Patrem cælestem deprecetur, qui cùm sit *Pater misericordiarum*; non negabit *spiritum bonum petentibus se:* cùm præsertim solo verbo (vt olim leprosos) immò voluntate, in momento temporis, omnes mundare possit: aut saltem vires præstabit ad resistendum; nec permittet quemquam tentari supra id, quod potest. [Lege Greg. l.5. in 1.Reg. c.14. Aug. l. 10. Confessionum. c.29. Cassian. lib.6. c.5.

Sap 8.
Matt. 19
Luc. 11.
Matth 8.
et Luc. 17
1.Cor. 10

2 Adiungat corporis afflictiones; idest ieiunia, flagellationes, vigilias, & similia: *Hoc* enim *genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione, & ieiunio*. Hanc insuper regulam Sancti tradiderunt, [& præsertim Gregor. in c.14. adducto, & l.30. moral. cap.13. Cassian. collat.12. c.4. & 15. Hier. ad Eustoch. de custodia virg.] eandemq. ipsi perfectè obseruarunt: atque inter alia multa, extat insigne exemplum Sancti Benedicti, apud Greg. lib.2. Dialog. cap.2. Figuratur etiam in Helia; qui cùm fugeret Iezabel, ieiunauit. 3.Reg.19. Neque mirum: sic enim disponitur animus ad diuinam opem impetrandam: & item quia ad subtractionem materiæ minuitur concupiscentiæ ardor: & maximè si coniungantur cum elee-

Corporis afflictio.
Mar. 17.

Eleemosyna, & mortificatio. eleemosyna: hæc enim misericordiam facilius consequitur. Sensus præterea omnes mortificandi, eorumque appetitiones reprimendæ: *Omnis* enim *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, &c. & sic D. Paulus, *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo*, &c. Item ad Rom. 12. *Carnis curam ne feceritis in desiderijs*, &c. Lege Cassia. l. 5. Inst. c. 11.

Matth. 5
1. Cor. 9.

Sacrorũ frequentatio. 3 Ad libidinis vim opprimendam, maximè valet frequens confessionis, & Eucharistię vsus; est enim *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines*. Zach. 9. [Lege Chrysost. hom. 27. in epist. 1. ad Corinth.] *Gustata enim suauitate superni spiritus, desipit omnis caro.* [vt Bern. in epist. & Greg. hom. 4. in Ezech. & l. 11. mor. c. 15.] Et figuratur in femore Iacob, quod emarcuit dum luctaretur cum Deo, Gen. 32. [vt Greg. hom. 14. in Ezech.] Hinc Apost. ad Gal. 5. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*: atque hoc ipse spiritu repletus omnia arbitratus est, *vt stercora, vt Christum lucrifaceret*.

ad Phil. 3

Affectus erga psonas moderari. 4 Compescat amorem immoderatum erga eas præsertim personas, quarum affectio solet esse periculosa: *Nam amor spiritualis, & eo magis amor naturalis, facile conuertitur in carnalem*: vt experientia constat; & S. Bonau. notauit [opusc. de purit. consc. c. 14. & nos l. 2. tr. 2. c. 18. n. 5.]

Cogitationes statim pellere. 5 Turpes cogitationes statim repellat, *Sunt enim pice viscosiores*: [vt monet Orig. hom. 20. in Num. Greg. l. 10. moral. c. 11. & l. 14. c. 10. & l. 30. c. 12. Basil. Const. monast. cap. 5.

cap. 5. Cassian. lib. 6. Inst. cap. 13. qui dicit quasi viperas ex animo esse repellendas.]

6 Occasiones omnes vitet; vt significat Apostolus, cum ait 1. ad Cor. 6. *Fugite fornicationem:* [& exponit August. lib. de honest. mulier.] Idque nouit etiam Arist. nam 2. Ethic. cap. 9. docet hoc genus tentationis fugiendo superari: nempe auertendo cogitationes, oculos, vitando consuetudines, colloquia turpia, &c. [Lege Chrys. hom 7. in epist. 2. ad Cor. D. Thom. 2.2. q. 35. art. 1. ad quartum. Nauar. in Man. de orat. cap. 19. num. 6.] Hoc autem optimum esse consilium ex eo in primis planū est: quod *mors intrat per fenestras*, Hierem. c. 9. [& exponit Cassian. lib. 6. Instit. cap. 2. Aug. hom. 35. lib. 50. hom. Basil. lib. 4 de vera rel.] Maxime autem oculos continere necesse est: quoniam hi sæpe animam auolare faciunt; vt accidit Dauidi 2. Reg. 11. Regi Sichen, & senibus Susannæ, Daniel. 13. Propterea Iob: *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* [lege ibidem Chrysost. & Greg. 21 moral. cap. 2. & 6.] hinc etiā Thren. 6 *Oculus meus deprædatus est animam meam:* & Eccles. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta:* & Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te:* & item ibidem, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Deinde colloquia turpia cauere studeat, quia *corrumpunt bonos mores*: quod ita seuere obseruabit, vt numquam de venereis loquatur, nisi necessitas spiritualis, vel debitum officij cogat;

Occasiones vitare.

Oculos cōpescere. *Cant. 6. Gen. 34. Iob. 31.*

Colloqa turpia vitare. *1. Cor. 15*

cogat; idque tunc honestis, & paucis verbis fiat: propterea Apostolus ad Ephes.5. ait, *Fornicatio, aut immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos:* [& explicate docet Chrys. hom 6. in epist. secundam ad Corinth. hom.4. de patientia Iob.]. Alia denique vitia detestetur, qui castè viuere studet: [vt Cassian.lib.5. Instit. cap.11. & lib.6. cap.2.] superbiam præsertim: nam sæpe propter illam Deus permittit hominem in hæc turpia labi, vt abijciat. [Greg.lib.22. Moral. c.3. Chrys. hom.18.& 30. in epist.1. ad Cor. Cassian. lib. 6. Instit.cap.18. & collat.4. cap.15. & 16. D. Thom.1.2.quæst.162.art.6.ad.3 & plerique alij. & nos lib.2. tract. 2.cap.15.] Ad hæc sit obediens, & facile libidini resistet; [vt Aug. in Psal.143. Bernar.serm.1. in festo omnium Sanctorum] Cantus item lasciuos, saltationes, ac libros obscænos, quod homines efficiant molliores, diligenter caueat [Basil lib. de vera virgin.] Gulam præterea studiose reprimat; quoniam venter saturatus libidinem parit [de qua nos infra cap.15. & Greg. lib.30. Moral.cap.13. Cassian.collat.12.cap.15.]

Superbiã detestari, &c.

Obedientiam sectari.

Cãtus, & libros lasciuos fugere.

Gulã frenare.

7 Otium fugiat, & honestis incumbat exercitationibus; *Multã enim malitiam docuit otiositas:* hæc insuper fuit ruina Sodomæ, Ezech. 16. *Mente autem in spiritualia suspensa, atque ibi fixa manente, carnalis concupiscentiæ impetus frangitur, paulatimque repreßus extinguitur;* [vt Aug. lib.de decem chordis.] Hinc Salomon. Eccl.12. *Frequens meditatio afflictio carnis est.* [simillima tradit Gregor. lib. 22. Moral.

Otiũ fugere.

Eccl.35.

Moral.cap.14. Cassian. lib. 6. Instit. cap. 1. & 23. Chrysost. hom. 7. in 2. ad Corint. Ambr. lib. 3. de Virginibus.]

8 Meditetur vanitatem voluptatis: etenim Eccles. 11. *Adolescentia, & voluptas vana sunt*; Et item quanta sit huius peccati turpitudo, & pernicies: nam, vt ait Apostolus, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat:* quia nimirum illud iniuriose tractat, cum violat eius sanctitatem: de qua idem Apostolus prima ad Thessal. 4. ait; *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione*, &c. item ibidem, *Deus*, inquit, *non vocauit nos in immunditiam, sed in sanctificationem*; & 1. Pet. 2. abstinere iubemur *à carnalibus desiderijs*: deinde quoniam membra, quæ Christi sunt, facit membra meretricis: vt idem D. Paulus prima ad Cor. 6. Ad hæc, quia homo Christianus est templum Spiritus sancti, quod violare perinde est, atq; ab eo Spiritum sanctum expellere. *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Meretur ergo supplicium, quod est huic peccato cum alijs cõmune: quòd scilicet propter hoc peccatum homines pelluntur, & exterminantur à regno Dei, quod est omnium malorum vltimum: nam *Neque fornicarij, neq; masculorum concubitores*, &c. *regnum Dei possidebunt:* & ad Ephes 5. *Omnis fornicator, aut immundus*, &c. *non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Extant etiam multa exem-

Vanitatẽ, & perniciẽ luxuriæ meditari.

1. *Cor.* 6.

1. *Cor.* 3.

Et quod à regno Dei excludit.

1. *Cor.* 6.

Punitionū exempla. pla animaduersionis in sacris literis: vt Sodomæ, & aliarum finitimarum vrbium: Israelitarum qui fornicati sunt cum filiabus Moab in deserto: Beniamitarum deletio, & Dauid 2. Reg. 11. & Salomonis 3. Reg. 11. & id genus alia; [de quibus Orig. hom. 3 in Leuit. & hom. 30. in Num. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 6. Basil. reg. breu. cap. 9. Chrysost. in Psalm. 43.] Qui vero mortem effugiunt, intolerabiles tamen pœnas, quibus sæpe plectuntur in hoc seculo, non effugiunt: nam mente cæci fiunt inutiles, vt nihil graue committi eis debeat, & ad nullum officij munus sint idonei: hoc enim vitium aufert cor, & sæpe excæcat. Hinc August. lib. 1. Soliloq. *Nihil,* inquit, *esse sentio, quod magis exalte deijciat animum virilem,* &c. Quare voluptate dominante, virtutes iacere necesse est: voluptas namque animam subijcit corpori, magis quàm alia vitia: propterea quod de suo statu dimouet, & perturbat rationem, & voluntatem, propter vehementiam passionis, & maxime corrumpit prudentiam: ex quo fit, vt homo retrahatur à perfecta voluntate quærendi Deum, & fiat ineptus ad spiritualia, & non curet cælestia [vt D. Thom. 2. 2. q. 153. art. 5. & quæst. 186. art. 4.] hinc Hierem. 31. *Vsquequo delicijs dissolueris?* Suffocat item semen verbi Dei. Luc. 8. His adde pericula, ægritudines, infamiam: nam *Qui adulter est,* ait Sapiens, *propter cordis inopiam perdet animam suam; turpitudinem, & ignorantiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.*

[Margin: Gen. 19. — Num. 25 — Iud. 20. — Osea. 4. — Virtutes impedit. — Mala tēporalia affert. — Prou. 6.]

9 Per-

9 Perpendat Dominum, qui gubernat ſeruos ſuos,ad vtilitatem illorum, non ſuam,hoc præcepiſſe; *Ne per illecebras, & illicitas voluptates, corruat templum eius, quod eſſe cœpit*: [vt Auguſt. lib. de decem chordis.]

10 Meditetur Dei omnipotentis,& Angelorum præſentiam; ne eis iniuriam turpitudine peccati faciat. Dei præſentiam meditetur.

11 Caſtos Chriſto Domino, & Beatæ Virgini, atque Angelis ipſis eſſe ſimiles; & caſtitatem eſſe virtutem è cælis ab eodem Saluatore allatam: [vt Chryſ.hom.23.ad Epheſ.& ſerm. de continentia Ioſeph, vt ſupra dixi.] Caſtitatem eſſe cœleſtẽ virtutẽ.

12 Præmium denique, paratum mundis in cælo,mente reuoluat: nam *torrente voluptatis ſuæ potabit eos*; & Matth. 5. *Beati mundo cordes quoniam ipſi Deum videbunt:* Et interim in hac vita fruuntur maxima pace, *quæ exſuperat omnem ſenſum*, orta ex teſtimonio cõſcientiæ, ex pulchritudine virtutis, & ex contemplatione diuinarum rerum, alijſque bonis. [de quibus Chryſ. hom. de fide Annæ, & hom. 5. in epiſt. 1. ad Theſſ. & denique hom. 1. ad Coloſſ. Lege Bonau. in Opuſc. Pharetræ lib. 2. cap. 13. tom. 1. & pugna ſpirituali contra 7. vitia, tom. 3. Anton. par. 2. tit. 5. cap. 1.] Hæc ſi non proſunt, ſuſpendat Confeſſarius abſolutionem: & illi, niſi aliud obſtet, ſuadeat ducere vxorem; *melius eſt enim nubere quam vri*. Pro pœnitentia autem iniungat opera, quæ corpus macerant; de quibus ſupra tract. 1. c. 3. orationes item, eleemoſynas, frequentiam ſacramentorum, pro qualitate perſonarum. Præmiũ caſtis paratum. *Pſal.* 35. *Phil.* 4. 1. *Cor.* 7. Quæ pœnitentia imponenda.

De remedijs contra Curiositatem. *Cap. XII.*

Curiositas quid.

CVriositas est vitium studiositati oppositũ; quod consistit in appetitu, & studio inordinato circa rerum cognitionem. Quod vt planius fiat, statuo primum, cognitionem veritatis per se bonam esse: quamuis per accidens possit esse mala: vel quia propter illam homo superbit [vt Aug. docet lib. de moribus Ecclesiæ. cap. 1.] vel quia abutitur ad malum; quod perperam fieri habetur Hier. 9. *Vt inique agerent laborauerunt*, &c. Secundo statuo, bonum hominis positum esse in cognitione veri; perfectum tamen bonum in cognitione summæ veritatis, vt Arist. lib. 10. Ethicorum: Ex quo sequitur, posse vitium esse in cognitione alicuius veri, quatenus appetitus illius non rite in cognitionem summæ veritatis refertur, in qua consistit summa felicitas. Curiositas ergo non in ipsa cognitione, sed in appetitu, & studio inordinatæ cognitionis versatur, vt dictum est. Quam iure optimo Propheta in Psal. 118. appellat vanitatem, cum orat: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem*: Vt enim duplex est oculus, corporis scilicet, & animæ, qui est intellectus: ita duplex est curiositas, nimirum sensitiua, & intellectiua: vident autem oculi vanitatem, cum hanc consectantur. [Lege Bonau. in Pharet. lib. 3. cap. 7. tom. 1. Opusc. & Biblia pauperum. c. 12. tom. 2. Ant. par. 2. tit. 3. cap. 3. §. 4.]

Cognitio veritatis quando mala.

Curiositas ē vanitas.

a In-

2 Intellectus autem curiositas propter inordinatum appetitum studij mala est, quatuor ob causas. Primum, cum propter studium minus vtile retrahitur quis à studio sibi necessario: vt si forte Sacerdos studeat comœdijs,&c. [Hier. ad Damasum.] Secundò, si discat ab eo, à quo eum doceri non licet, nempe à dæmone; vt solent superstitiosi, [cõtra quos Aug. lib. de vera religione.] similiter si catholicus ab hæretico, vel infideli discat cum periculo religionis, &c. Tertiò, cum scientias non refert in debitum finem, scilicet ad cognitionẽ Dei, vt Aug. [lib. de vera religione, cap. 4.] *In consideratione,* inquit, *creaturarum non est vana, & peritura curiositas exercenda; sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus.* Quartò, cum studet cognoscere aliquam veritatem supra facultatem sui ingenij, contra consilium sapientis: Eccl. 3. *Altiora te ne quæsieris,* [Lege D. Thom. 2.2. q. 167. Anton. 2. par. tit. 3. cap. 7. Ambr. & Ansel. &c.]

Intellectiua curiositasq mala.

3 Ex his facile intelligitur, non interdici Christianis scientias ab ethnicis traditas, vt philosophiam, medicinam, aliasque artes, & facultates; dummodo fidei, seu catholicæ Ecclesiæ censura corrigantur, & in bonum finem referantur. [Lege Gratiani totam dist. 57. vbi multa in hanc sententiam ex D. Hier. August. Ambr. Beda, alijsque Patribus adducit.] Lege item Indicem librorum prohibitorum, & præsertim Regulam septimam, quæ est de libris obscænis: & Regulam nonam, quæ est de libris ad superstitiones pertinentibus: eiusque

Disciplinæ gentiliumque ꝓhibitę.

annotationem, seu obseruationem; in qua prohibentur libri Astrologiæ iudiciariæ, & sortilegiorum, & alij, qui in regula numerantur, atque transgredientes subijcit Inquisitoribus, iuxta Constit. Sixti V. De studio autem legū, & physicæ, id est medicinæ clericis, & religiosis interdicto, lege c. *Non magnopere.* & cap. *Super specula*, ne cler. vel monach. & ibi Doctores, & Summistas; maxime Siluestrum V. *Excommunicatio* 9. §. 22.

Diuinatio quæ phibita.

4 Artem vero prædicendi ea, quæ pendent ex libero hominis arbitrio, vel ex diuina prouidentia, vanam esse, & illicitam, clara res est. Primum, quia hoc est proprium Dei, Isai. 41. Item Hier. 10. *A signis cæli nolite metuere.* Secundò ex sacris Canonibus 26. q. 2. 3. 4. & 5. Item tit. de sortileg. Item ex Concil. Tolet. 1. & Sixto V. in Constitutione de hac re. Tertiò ex Patribus, Tertul. lib. de Idololatria, & in Apolog. cap. 35. vbi dicit esse dæmonum inuentum. Orig. in Hierem. Cypr. libr. de singul. clericorum, Cyril. Catech. 4. Euseb. lib. 4. de præpar. Euangel. cap. 8. Basil. in Isai. c. 2. Epiphan. lib. de ponderibus, & mensuris. Niceph. lib. 9. histor. c. 9. Clemens Rom. lib. 9. Recognitionum. Ambr. lib. 4. hexam. c. 4. Hieron. vt habetur 26. q. 2. cap. *Sed & illud.* Aug. lib. 7. Confess. c. 6. & lib. 2. de Doctrina Christiana. cap. 21. & sequen. lib. 3. de Gen. ad litteram. cap. 16. & 17. & lib. 5. de Ciuitate, cap. 1. vsque ad 8. & q. 45. lib 83. qq. Leo epist. 91. Greg. hom. 10. de Epiph. D. Thom. in Opusc. contra illam: & denique ex iure Ciuili, C. de malef,

& Mathem. l. *artem.* l. *nemo.* l. *Et si excepta.* præterea. ff. de iniur. & famos. libell. l. *Item.* Omitto præstantes Philosophos, qui idem sentiunt: hos enim Picus Mirand. lib. 1 in Astrol. cap. 1. refert. Hactenus de curiositate intellectiua.

5 Sensitiua verò curiositas consistit in appetitu, & studio inordinato cognoscendi per aliquem sensum exteriorem. Exercetur enim per quatuor sensus, comprehenditur tamen sub visu; quia oculi referuntur ad omnia sensibilia: ideoq. nomine visus significatur omnis sensatio; omnia enim sensibilia videri dicũtur, vt August. lib. 10. Confessionum. cap. 35. Refertur autem cognitio sensitiua, vel ad corporis sustentationem, vel ad cognitionem, practicam scilicet, vel speculatiuam. Est autem mala duobus modis: Primum, quando non refertur in bonum finem, vel diuertit hominem à bono. Secundò, cum refertur ad malum; vt si quis aspiciat mulierem ad concupiscendum eam; vel aliorum facta non ad corrigendum, sed ad detrahendum: Hinc Prouer. 24. *Ne insidieris, vt quaras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.* & Apostolus in 1. ad Tim. 5. verbosas, & curiosas viduas reprehendit. Figuratur deniq; Gen. 34. in Dina, quæ curiosè egressa violatur, vt notat Hugo.

Curiositas sensitiua quæ.

Quando sit mala.

6 Extendit se præterea cõcupiscentia oculorum ad spectacula: quæ cum lasciuiam, crudelitatem, vel aliud peccatum continent, illicita sunt; vt constat ex sexta Synodo Constantinopol. cap. 51. Concil. Carthagin. 3. Can 11.

Spectacula quæ illicita.

&

& Can. *qui die.* de conf. dist. 1. & Can. *pro dilectione.* de consecr. dist. 2. Can. *maritum.* dist.33. Can. *donare.* & Can. *qua venatoribus.* dist. 86. Deinde ex Patribus, Tertul. lib. de spectaculis: vbi refert dæmonem, qui in spectaculis obsederat mulierem, rogatum, cur in eam ingressus esset, respondisse, *Constanter, & iustißime feci; in meo eam inueni:* ex quo intelligitur spectacula esse loca Diaboli. [Item Cypr. lib. de spectaculis. & lib.1. epist. 10. & lib.2. epist.2. Clemen. Alexan. lib. 2. pædag. cap.6. Ambr.serm.5. in Psal.118.Basil.in hom. 4. hexameron. Chrys. hom. *de Dauid, & Saule*, & hom.6. & 69. in Matth. & in hom. *quod periculosum est adire spectacula:* vbi ait tales inspectiones constituere mentes adulteras, & inuerecundas. August. in Psalm 119. & lib.3. Confess.cap. 1.] præsertim cum in illis recitant mulieres: propterea idem August. lib. de singul. cleric. ait, earum voces audire peius esse, quàm sibilum basilisci, quoniam occidũt animam. Adde quod eadem causa prohibentur docere in templo, 1.ad Corint.2.vt ibi adnotat Ansel. [Præterea contra spectacula inuehitur Hieron. lib.6.in cap.20. Ezech.Petrus Chrysol. serm.151. D. Thom.2.2. q.167. art. 2. & in 4. distin.16.q.4.art.2.Anton.2.par.tit. 3.cap.7. § 5.& 3.par. tit.8.c.4.§.12.Angel.V. *Histrio.* quæst.1.Sil.V.*Ludus*. §.8.Tab. *Histrio.* quæst.1. Armil.eodem. Nau.cap.16.num.14.& cap.19.num.4.]Hinc sequitur multo magis esse prohibita,& illicita clericis,& religiosis, cap. *non oportet.* 2. de consec.dist.5. & toto tit. de tor-

Auctores qui cõtra spectacula.

Clericis magis ꝓhibita.

torneam. Excusat tamen Anton. §. citato à peccato mortali eos, qui casu leuiter aspicerent, nescientes talia repræsentari. Ex his etiam sequitur, multo magis prohiberi duellorum aspectum [vt patet ex Conc. Triden. & Const. Greg. XIII. & Clementis VIII. de duello.] Illud tamen adiungo, licitas esse Comœdias, Tragœdias, aliaq. honesta spectacula, quæ videlicet prodesse possunt; [vt docet Cypr. lib. de spectac. in fine, Albertus, quem sequitur Anton. d. §. 5. & alij.] Neque enim auctores iam relati hæc damnant; sed solum obscœna, & crudelia. Has tamen comœdias non licet audire ab ijs, qui solent vt plurimum obscœnas recitare: tum ratione scandali; tum quod repente, cum minus id cogitant spectatores, ad turpia illi redeunt; à quibus ad tempus, vt plures allicerent, atque ad spectandum traherent, abstinuerunt.

Duella.

Comœdiæ quæ licitæ.

7 Atqui laudabilis omnino curiositas est illa, qua scilicet per creaturas homo ducitur ad cognitionem, & amorem Creatoris: *Inuisibilia enim Dei*, vt ait Apostolus, *à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas*. Quare *ex magnitudine creaturarum percipitur immensitas Creatoris, ex perpetuitate æternitas, ex ordine sapientia, ex virtute perfectio, ex pulchritudine denique pulchritudo Dei*, qui dicitur pulcher, *sicut vniuersorum consonantia, & claritatis causa*, Dionysius. cap. 4. de diuin. nom. & exponit D. Thom. 2. 2. q. 145. art. 2. [Lege quæ nos lib. 2. tract. 3. cap. 4. §. 4.]

Curiositas quæ laude digna.

Rom. 1.

De

De remedijs contra Odium, & Inuidiam.
Cap. XIII.

Contra Odium. AD deponendum Odium iuuat; Primum, considerare Deum esse vindicem iniuriarum: nam *Mihi*, inquit, *vindictam, & ego retribuam*. Item, non dimittere Deum peccata, nisi dimittenti ex corde iniurias fratri, Matth. 6. & Greg. 4. Dial. cap. vlt. Secundò, sibi ipsi magis nocere. Tertiò, cum aliquando tandem dimittere oporteat, si velit salutem consequi, melius esse præuenire: tum propter meritum; tum ad vitandum pericula damnationis, & peccata; tum vt Deo placeat, eumq. imitetur; *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos*, &c. Et Christum Dominum; qui in Cruce orat pro crucifixoribus: & nobis multoties pepercit clementissime, qui illum grauius offendimus. [Lege Chrys. hom. 22. ad populum.] Quartò, vincat in bono malum, id est benefaciat inimico; & sic *carbones ignis congeret super caput eius*: & forte liberabit fratrem à morte: [Gregor. lib. 21. Moral. cap. 14. & lib. 30. c. 9. Chrys. hom. 50. in Io. & serm. 10. & 11. de virt. & vitijs. Cassian. colla. 16. cap. 15. & seq.] Adde quod, *Si conuersus ille salutem impetret, qui eum odit, se fratrem odisse comperiet, immo filium Dei, & nescit*. August. in Psal. 54. Quintò, sumat denique post confessionem Eucharistiam, quæ est sacramentum pacis, [vt Chrys. hom. 60. ad pop. Lege Bonauen. opusc. contra septem vitia pugnæ spiritualis. Anton. par. 2. tit. 8. cap. 3.]

Deut. 32. Rom. 12. Matt. 5. Rom. 12.

Con-

2 Contra Inuidiam primum remedium est, amorem suum conuertere in hæreditatem cæli, vt Gregor.5.moral. cap.32. & nihil magnū in hac vita æstimare. Basil. hom. de inuidia. Secundum, cogitare quam graue peccatum sit: idq. ortum ex superbia, contra legem naturæ, & contra charitatem: nam *sumus vnum corpus in Christo: singuli autem alter alterius membra*. Quare vilis hominis est inuidere: tamen spirituales etiam homines conficit. Cassian. collat.18. cap. 17. & propterea difficilis est curationis, vt ibidem Cassian. Huc etiam spectat, omnes homines esse eiusdem naturæ; & omnium patrem esse Deum: communia item esse Christi beneficia; vnamq. omnium hæreditatem; teq. propter peccata esse omnibus minorem, vel saltem debere te ita existimare. Tertiò, meditari, inuidia effici homines similes Diabolo. 1.Ioan.3.& 4. Chrysost.hom. 41. in Matth. immo peiores illo. hom. 31. in 1.Corint. Quartò, inuidum sibi nocere, vt æruginem; alijs displicere, & nihil omnino prodesse. hinc Prouer. 14. *putredo ossium inuidia*. [Basil.hom.de inuidia. Aug.hom.83 de tempore. Chrysost.hom.84.ad popul.& 41.in Matth. Gregor.lib.5. Moral.cap.32.& Past.par.3.adm. 11.] Adde quod Basilius assimilat vulturi, & muscæ; quia inuidi amœna prætereunt, & tabidis hærent. [Lege Bonauen.Opusc. *Pharetra* lib.2.cap.8. Anton. par.2. tit.8. cap.1. §.5.] Quintò, prauos eius effectus, qui sunt odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis. [Gregor.lib.

Contra Inuidiā.

ad Eph.4

Inuidus Diabolo similis.

Vulturi, & Muscæ.

Effectus inuidiæ.

31.

31.Moral.cap.17.D.Thom.2.2.quæst.36.art.4.] Propterea Basil.hom.de inuidia, *Vana*, inquit, *est curatio, cum mortiferum virus lateat in medullis: Et alia vitia virtutibus contrarijs curantur; at inuidia crescit virtutibus aliorum.*

Pœnitentia iniungēda inuido. Sextò, denique iniungat Confessarius pœnitentiam inuido, vt signa charitatis ei ostendat, quem odio, & inuidia prosequitur; memor propriæ culpæ, & promissionis Christi, *Dimittite, & dimittetur vobis*, &c. *si autem non dimiseritis hominibus*, &c. *nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* *Matt. 6.*

De remedijs contra Iram. Cap. XIV.

Aduersus Iram prodest cohibere linguam. IRacundus quotidie meditetur sibi resistendum esse iracundiæ: cumq. ira animum mouet, tum diligentissime linguam contineat; nō tamen in contemptum, vel vt fratrem remordeat, sed vt cedat iræ. [Gregor.lib.34.moral. cap.vlt.Past.par.3. adm.17. Cassian. collat.16. cap.18.] & item se statim commendet Deo oratione iaculatoria, [vt Basil.hom.de Ira.]

Parare se ad cōtumelias exemplo Christi. 2 Præparet se quotidie ad contumelias pro Christo perferendas; & ad ipsum respiciat, *Qui cum pateretur non comminabatur*, 1. Pet. 2. [vt monet Basil.hom.citata. Chrysost. hom. 88. in Matth. Greg.lib.5.Moral.cap.31.] immo Dominus Matth. 11: *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum*, &c. *& inuenietis requiem animabus vestris*; Hinc Psal. 36. *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* & Matth.5. *Beati mites, quoniam ipsi*

ipsi possidebunt terram. Adde quod iusti iniurias Deus vindicat. [Chrysf. hom. 45. in Gen. Lege quæ nos lib. 2. tract. 2. cap. 29.]

3 Videat proprios defectus: & quanta in ipso tolerent alij, quantaque ipse Deus. [Greg. loco paulò ante notato.]

Proprios defectus videre.

4 Consideret incommoda, quæ ex ira nascuntur, nisi reprimatur. Priuat enim corona; ita vt homo perdat quidquid diuturno labore partum est, [vt Cypria. lib. de patientia.] confirmatur Iacob. 1. & Prou. 22 Item facit hominem ferocem, vt bestiam: nam *Ira in sinu stulti requiescit:* Eccl. 7. est enim *furor breuis*. [Chrysost. homil. 34. in Genes.] immo vero *iracundus est peior bestia*. Chrysost hom. 29. ad popul. Præterea *irato nihil turpius*. [Chrysf. hom. 25. in Ioan. & hom. 6. in Acta.] Ad hæc perpendat iræ effectus: qui sunt rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ, [vt Greg. lib. 31. cap. 17.] Adde quod Dei vindictam in se prouocat, qui irascitur fratri, Matth. 6. Isai. 66. [Greg. lib. 5. Moral. c. 31. Lege Chrysf. hom. 17. in Acta.] Propterea monet Apostolus ad Ephes. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram*. [Lege plura apud Basil. & Greg. Item Chrysf. hom. 29. 30. & 31. ad popul. & hom. 15. ad Ephes. homil. 62. in Matth. & hom. 6. in Acta. Ambr. lib. 1. Officiorum, cap. 21. Cassian. lib. 8. Inst. cap. 1. Bonau. Pharet. lib. 2. cap. 9. & *Dicta Salut.* tit. 1. in tom. 1. Opusc. & in pugna spirituali contra septem vitia, tom. 3. Anton. par. 2. tit. 7. c. 1.]

Quæ mala affert.

Effectus iræ.

Auctores de hac re cōsulendi.

5 Ira verò moderata laudabilis est; cum præ-

Quæ ira laudabilis.

præsertim contra passiones irascimur, [vt Cassian. lib.8. cap.6. & seq.] cum propter zelũ, [Greg. lib.5. Moral.cap 31. Chrys.hom.6. de laudibus Pauli.] Hinc Psal.4. *Irascimini, & nolite peccare,* & Ecclef.7. *Melior est ira risu.*

Indicia victoriæ contra iram.

6 Indicia victoriæ affert Basil. nempe, cum saltem externos motus cohibemus; cum erubescimus irati inueniri; cum reddimus bonum pro malo; cum non præuenit, sed sequitur rationem. Lege Basil.

Quid irascẽdo iniungẽdũ

7 Pœnitentia verò eadem imponi potest, quæ inuidis. Homicidam verò moneat primum de obligatione restitutionis, & irregularitate; iniungat lõgam peregrinationem, ieiunia, &c. Item, vt seruiat hospitali, det eleemosynas, frequentet Sacramenta; deinde videat, an sit casus reseruatus.

Irati quo modo tolerandi.

8 Ad tolerandam denique alterius iram hæc conferunt. primum remouere se à facie irati, [Chrys.hom.31. ad pop.] Secundò, *verbum molle frangit iram*, Prou. 15.[Chrys. in Psal.119.] Propterea mansuete respondeas; vel saltem taceas, humaniter tamen, & modeste. Tertiò illi compati, vt phrenetico [Chry. in Psal.7.] Quartò, *vince in bono malum*, ad Rom.12.

De remedijs contra Gulam. Cap.XV.

Confert fugere occasiones.

AD vitanda peccata gulæ, optimum remedium est fugere occasiones, & conuersationes, vt monet Sapiens Prou. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum.* & Bernar. in Apol. ad Gu-

Guliel. Abstinere item à cibis lautis, & condimentis, [vt Greg. lib.31. Moral.c.17. Aug. epist.86. Chrysost. serm.1. de ieiunio. Basil. in reg. breu. cap 10.] quo enim plura corpori homo negauerit, eo maiores animo vires contra prauos eius motus addet, atque à Deo plura feret.

2. Paulatim progrediendum, ita vt quotidie aliquid Gulæ detrahatur, quousque ad regulam temperantiæ perueniatur. [Lege Greg. 30 Moral. cap. 13. Basil. Const. monast. c.5. Cassian. lib.5. Inst.c.3. & 11. 15. & 20.] Sẽper aliquid Gulæ detrahere.

3 Ne cogites vires defuturas. Greg. lib.5. in 1. Reg. cap.11.

4 Seriò rebus spiritualibus vacare. Greg. ibid. cap.15.

5 Cogitare quàm cito transeat cibi, & potus delectatio; mala verò maneant, nempe luxuria, cordis obduratio, ira, homicidia, ebrietas, cruditas, morbi, paupertas, interitus: & propterea gulosi excluduntur à Regno Dei. 1. Cor.6. & per eam multi perierunt. Chrys. hom.1. in Gen. Hinc Amos 6. *Va vobis, qui comeditis agnum de grege*, &c. [Quàm multa, & magna sint temperantiæ bona, lege apud Greg. 1. mor. c.5. & l.31. c.17. Cassia. l.5. Inst. c.17. Chryso. serm.13. ad Rom. & hom.39. in epist.1. ad Cor. & 71. ad pop. homil.13. in 1. ad Tim. & 29. ad Hebr.] Gulæ effectus. Auctores consulendi.

6 Cogitare, quam displiceat Deo: nam gulosis *Deus venter est*, ad Philip.3. [Chrys. ibid. hom.13.] Item quia templum Christi fit cloaca; & membra Christi quasi membra bestiæ Gula displicet Deo.

euadunt. [Lege Chrysost. hom.29. in Gen. & hom.27. in Act. & 58. in Matth.]

Placet Diabolo. 7 Gratum esse hoc vitium Diabolo, vt patet Matth.12. & Iob.40. & propterea maximè vitandum.

Alia remedia. 8 Denique exempla Christi, & Sanctorum meditari proderit, ex 2.ad Cor.11. Item timere, ne species necessitatis nos decipiat. [Aug. 10. Confess. c.31.] & semper contra ciborum delectationem pugnare. [Aug.ibid. Greg.l.30. mor. c.14.] Et cùm tandem molestiam senties in comestione, tunc gulam te superasse intelliges. [Cassia.l.5.Inst. c.14.] Item cùm castitatis donum fueris consequutus; [vt Greg.l.5. in 1.Reg. c.11.] Tertium indicium est timere, ne transgrediaris metam necessitatis, [Aug. l.10. Confess.c.31.] Quartum est pugna contra ciborum delectationem. [Aug.ibid.Greg.l.30. mor. c.14. Lege de his Orig. hom.7. in Leu. Cassia. collat.22. c.3. Bonau. Pharetræ lib.2. c.12.tom.1. opusc. & in Biblia pauperum c.88. tom.2. Ant. p.2. tit.6. c.1. De remedijs. ibid. §.10.]

Signa profectus contra Gulam.

Quid Guloso iniungendum. Pœnitentia gulosis apta est, ieiunium, abstinentia, & maximè à cibis non necessarijs, à cibis delicatis,& conditis, atque à puro vino; & opera alia; [de quibus supra tr.1. c.3. §.2. & l.2. tr.1. c.22. n.4. & tr.2. c.25.]

De remedijs contra Acediam, tepiditatem, & pusillanimitatem. Cap. XVI.

Acedia quid. Acedia est *Tristitia aggrauans, quæ ita deprimit animum, vt nihil agere libeat,* vt Da-

vt Damascenus lib. 2. cap. 14. Vel est *Tædium operandi, vel spiritualis frigiditas, aut tepiditas*, D. Thom. 2. 2. q. 35. art. 1. [De eius natura lege Gregor. in primum Reg. cap. 14. Bernar. tract. de passione Domini. cap. 19. Aug. in Psal. 104. Cassian. lib. 9. Instit. & lib. 10.] Effectus exponit D. Thom. art. 4. Sunt autem malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita: ex Greg. loco citato. Effectus eius.

2 Primum remedium est Oratio, Iacob. 5. *Tristatur autem aliquis vestrum? oret.* [August. in Psalm. 106. Bernard. serm. 21. in Cant.] Remedium est oratio. Secundum est ei sedulo resistere, prosequendo bona opera diligenter; quia *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Hier. 48. [Cassian. lib. 10. Inst. cap. 25. Bernar. serm. 21. in Cant.] Bene operari. Quare otium est detestandum, & fugiendum, Eccles. cap. 33. [Lege Greg. lib. 20. Moral. c. 20. & lib. 7. cap. 17. & lib. 4. cap. vlt. item Past. par. 3. adm. 16. Chrysost. hom. 14. in Gen. 46. in Matth. 16. ad Eph. 29. ad Hebr. Cassi. collat. 19. cap. 24. & collat. 24. cap. 12.] Hinc Lycurgus otiosos à sua republ. pellebat, [vt Iustin. lib. 3. histor.] Otiū vitare. Tertium remedium est meditari exempla Christi, & Sanctorum; diuina item beneficia; & præsertim concursum, & cooperationem perpetuam, tum vniuersalem, tum peculiarem Dei in omnibus prorsus actionibus; ita vt videatur quodammodo pro nobis semper laborare. Ad hæc, suauitatem legis Euangelicæ, Matth. 11. Ioan. 16. & in epist. 1. cap. 5. [Chrysost. homil. 17. & 39. in Matth.] Hæc meditari.

Item, quod tempus laboris breue est, præmium verò æternum: & præterea imminent tentationes, pericula ex hostium insidijs, & peccatorum reatu. Satagamus ergo quasi instet incendium, aut valida tempestas: in quibus *qui sectatur otium stultissimus est*. His adde laborē indefessum creaturarum: & præsertim hominum, qui propter honores, opes, & voluptates nulli labori parcunt, nullum metuunt periculum: Quapropter monet Apostolus: *Sicut ergo exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*. Quartò, proderit variare actiones, ne fastidium pariant: Et item non versari cum otiosis; sed cum diligentibus, ac deuotis. Ad hæc, adhibere pœnitentias laboriosas conetur Confessarius, & ad vitandum otium accommodatas: Moneat præterea, vt ad sonum horologij cogitet se temporis rationem redditurum: iniungat etiam examen conscientiæ peculiare, & silentium: & in his omnibus consulat frequenter Confessarium, vel alium sapientem virum. [Lege Bonauent. in Pharetra lib. 2.c. 10. tom. 1. Opusc. & in pugna spirituali, &c. tom.3. Anton.par.2.tit.9.cap.1.& 2.]

Prou. 12.

Rom. 6.

Variare actiones

Pœnitentia iniungenda.

Tepiditas Acediæ filia.

3 Tepiditas, seu torpor est effectus acediæ, & interdum cum graui peccato coniuncta: propterea Apoc. 3. *Quia tepidus es*, inquit Dominus, *incipiā te euomere ex ore meo*. [Eius varios effectus recenset Bernar. in serm. 6. de Ascen. Cassian.lib.10.Inst.c.2. & seq. Lege etiam lib.12.c.25. & seq.& colla.3.c.5.

Indi-

Indicia verò hominis tepidi enumerat Rossi- gno. lib.2. de disciplin. Christ. perfect. cap. 19. sunt autem hæc præcipua. Primum, grauiter ferre disciplinam. Secundum, ad otium aspirare, idque putare suis laboribus deberi. Tertium, inuite, & lente obedire. Quartum, frigere in sacramentorum vsu, in oratione, in concione, in lectione, & colloquutione de rebus spiritualibus. Quintum, occasiones peccatorum non vitare, atque suis viribus confidere. Sextum, memoria repetere pristinos mores; & mundanam fœlicitatem magnum bonũ ducere, &c. Septimum, diuinas inspirationes non aduertere, dissimulare, differre, vel negligere. Octauum, patrum spiritualium consilia, & correptiones non curare, vel refugere. Nonum, honorem optare, sibique indulgere. Decimum, gloriam propriam quærere in speciosis studijs, vel negotijs; & differre opera, quæ ad sui abnegationem, & perfectionẽ animæ conducunt; rationesq. quærere, quibus tepiditatem suam excusent, & diuinam voluntatem ad sua studia reuocent; & similia. Optimũ autem remedium est cogitare periculum iacturæ. [Greg. Past. par. 3. adm. 35. Cassian. collat.6.c.17. & collat.4. c.19.] Item esse infœlicem statum tepidi hominis: [vt Bernar. dicto serm.6. de Ascens.] imminet enim contra illum ira Dei: quoniã generat mentis perturbationem, confusionem, ac caliginem; [de qua Cassian. l.12.c.25. & seq.] nam *Vult, & non vult piger*, Prou.3. & 13.

Signa Tepidi.

Remedia cõtra Torporẽ.

4 Deinde sunt aliqui tepidi, qui in pecca-

Perseuerare in peccatos pessima acedia.

to perseuerant; vel quia non auferunt occasiones peccatorum; vel quia non remouent impedimenta profectus spiritualis; [de quibus Gre. l.7. moral. c.14. Bern. serm. 3. de Annunciat. & serm. contra Ingratitudinem:] atque hi incidunt in turpes cogitationes. [Greg. l.5. Moral. c.22.] in detractiones, in fugam disciplinæ, & scandala: [Bernar. loc. cit. Cassian. l.10. Inst. c.3.] & denique in desperationem. [August. in Psal. 106. Cassian l.9. c.9.] Remedium est animose incipere, vt Psalm. 76. *Dixi nunc cœpi*, [Greg. l.5. Moral. c.22.] Item meditari nouissima: [Bern. ser. *de sex tribulationibus*.] Præterea quàm sit turpis vita tepidi: [vt Gregor. ibidem.] & denique quàm displiceat Deo. [Bern. de altit. cordis ser. 2.]

Remedia.

5 Pusillanimitas est effectus acediæ, secundum Greg. [lib. 23. Moral. cap. 16.] nam pusillanimis in miserijs non subsistit: animo enim cadit tempore tentationis; minusq. se posse putat, quam reuera cum Dei gratia possit; & propterea pusillanimitas est contraria magnanimitati; quoniam per eam, vt ait Greg. *Omne bonorum nostrorum gaudium vertitur in pauorem pœnarum: tabescit mens, stupent oculi, omne, quod prius prosperum arridebat, euanescit; lux ipsa fastidio est: solæ se in anima tenebræ mœroris effundunt; nihil quod delectet aspicitur; triste est quicquid occurrit*. Hinc scrupuli, Greg. lib. 27. Moral. c.7. Hinc perplexitas animi; [vt idem l. 32. Moral. cap. 17. August. epist. 250. ad Paulinum;] de quibus nos supra tract. 2. c. 18.

Pusillanimitas effectus acediæ.

Remedium est sperare in diuina prouidentia.

Eiusdem remedia.

tia. [Greg.lib.27. Moral.cap.vlt.] Item resistere huiusmodi cogitationibus.] Greg.ibid. Chrysost.l. 2.de prouid.Dei;] quia multa affert incommoda talis mœror: *nocet* enim *cordi*. Prou.25. & *exsiccat ossa*; ibid.cap.17.[Cassian. lib.9.Instit.c. 2.& 3.] Prodest item humilitas; [Greg.lib 23.Moral. c. 16.] Ad hæc regulas adhibere Sanctorum: [vt Chrys.loco citato;] Deus etenim non honoratur in tristitia; Bern. serm. de septem misericordijs. Item quia monet August.super Psal.138. *Vt non timeant imperfecti; sed tantum vt proficiant*. Postremò cõsulant Sapientes; [August. epist.250. Gregor. Past.par.3.admonit.4.& 9.& Cassian.collat.19. c.14. Lege Chrysost.hom.13.in Matth. D.Tho. 2.2:q. 133.& quæ nos supra.Anton.par. 2. tit. 9.c.16.] Hæc de remedijs peccatorum, ac vitiorum adnotasse sit satis. Verumtamen cum non omnibus vnum remedium congruat, propter morum, & personarum diuersitatem, prudentis Confessarij erit quid cuique expediat iudicare,& salubre adhibere medicamentum: [vt Gregor. in prologo 3. par. Past.& lib.30. Moral.cap.4.& Basil. Constit.monast. cap.32.] Conetur autem maximè radicem peccatorum inuestigare, & ad eam extirpandam incumbere; [vt Henriq. lib.6. Summæ sacrament. cap.3. num 2. prosequitur.] Sed finem tandem his faciamus : nam reliqua posteriore libro prosequemur.

In remedijs dandis, prudẽtia, ac delectus adhibendus.

INSTITVTIONIS Confessariorum LIBER SECVNDVS.

DE MODO PROMOVENDI poenitentes ad Christianam perfectionem.



PROOEMIVM.

Pœnitẽs pmouendus ad virtutũ studium.



VM primum pœnitens legitimè à Confessario absoluitur; statim elutis Christi sanguine peccatorum sordibus, in pristinam dignitatem restituitur; filius Dei constituitur, viam denique Christianæ perfectionis ingreditur: quam vt conficere tutò possit, salutaribus monitis, & præceptis instituendus est. Parũ enim proderit, viam ei monstrasse, nisi ad optatum terminum perducatur: sicut neque is medici nomen meretur, qui, expulso morbo, ægrotum deserit nõdum in sanitate confirmatum. Quapropter in primis conari debet Confessarius, vt pœnitens, rectè purgata conscientia ex ijs, quæ priore libro diximus, in firmo proposito obseruandi legem diuinam roboretur. Deinde doceat eum superare tentationes; in via Domini progredi; vitiorum

rum habitus extirpare; passiones mortificare; virtutes omnes perfectè consequi; & postremo qua ratione cũ Deo summo bono perfectè possit vniri. Septem etenim sunt gradus, per quos ad Christianam perfectionem peruenitur. Primus est stabilire voluntatem in bono: Secundus, muniri contra tentationes, & in militia spirituali, aduersus animæ hostes, se accingere: Tertius, statuere in via Domini semper esse progrediendũ; & propterea ad opera perfectionis omni conatu se impellere: Quartus, ab anima exstirpare prauos habitus vitiorũ actibus virtutũ: Quintus, radices peccatorũ euellere continua mortificatione; hoc est propriã voluntatẽ, iudiciũ, & passiones. Atque hi gradus ad viam purgatiuam pertinent; & sunt proprij incipientium: Sextus gradus est progredi in virtutibus: qui spectat ad viam illuminatiuam; & est proprius proficientium. Postremus gradus est vniri Deo per contemplationem, & amorem; & hic est viæ vnitiuæ proprius, & perfectorum. Namque triplici via homo ducitur ad Deum, purgatiua, illuminatiua, & vnitiua: [vt docet D. Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierar. cap. 5. & 6. & Bonau. lib. de Mystica Theolog.] Tres verò esse hominum status, nempe incipientium, proficientium, & perfectorum, initio libri primi probatum est; & apud omnes constat. Cum igitur priore libro multa de via purgatiua exposita sint; hic posterior liber supplet ea, quæ supersunt de eadem via purgatiua; & alias duas vias pro instituti operis breuitate explanat.

Gradus septem Christianæ perfectionis.

Triplex via.

Tres hominum status.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS.
De via Purgatiua.

Qua ratione proficientes instituendi sint; & in rectè viuendi proposito confirmandi. Cap. I.

Peccati odium concipiédum.

1  Vram maximam adhibeat Confessarius, vt pœnitens, purificata iam conscientia, concipiat magnum peccati odium: illudq. omnino cauere statuat, ex ijs quæ nos suprà. Hic est enim *omnis fructus, vt auferatur peccatum eius*, ità vt amplius non recidat; ne dum forte incautus iterum ad vomitum redit, & Spiritum sanctum contristat, ei deterius aliquid contingat: atque pœnitentiæ tempus aliàs negetur, quòd *diuitias bonitatis eius, & patentiæ, & longanimitatis* contempserit; *Horrendum est* enim *incidere in manus Dei viuentis*. Quare illum in timorem Domini omni conatu traducat: in hoc enim momentum est maximum ad benè viuendum; quia timor Domini expellit peccatum, vt lib. 1. tract. 3. c. 1.

Isai. 27. *Rom. 2.* *Heb. 10.*

Cófessio generalis suadéda.

2 Deinde, si expedire iudicauerit, suadeat ad omnium peccatorum suorum generalem confessionem se diligenter præparare; vt perfectè mundata conscientia, & sublatis scrupulis, magis purè, & expeditè Deo seruiat: solet enim superioris vitæ malè actæ memoria spiritualem progressum retardare.

Occasiones peccatorum vitádæ.

3 Vitet omnes peccatorum occasiones; & maximè ludos, ac prauas conuersationes, quæ *bonos mores corrumpunt*; [qua de re lege Chrys. in

1. Cor. 15

in Psal.4. Orig. hom.5.in Leuit. Gregor.lib.1. Mor.cap.1.& lib.26.c.9. Ephr.to.1. serm.contra impudicos, & serm. de mala conuers. vitand. & Cassian.collat.20.c.10.& quæ nos lib. 1.tract.2.c.15.& tract.3. c.11.] Otium præterea fugiat, ac detestetur: Primum quia multam malitiam docuit: & sicut terra inculta spinas tantum producit, ita homo otiosus peccata; [vt Chrysost.hom.29.ad Hebræos.] Secundò, quoniam Dæmon præstolatur tempus, quo videat animam otio aliquo, etiam modico, distentam; vt eam aggrediatur: [de quo Bern. ser.63.in Cant.Greg.hom.35.in Euang.] Et propterea Deus præcepit Adæ, vt operaretur, [Chrys.hom.14. in Gen.] Tertiò, propterea quod non solum punitur seruus, qui malè agit, sed etiam otiosus. [Chrysost.hom.16. in ep. ad Ephesios.] Quarto, vt tempus frustra consumptum redimat; iuxtà Apostoli monita, ad Ephes.5. & ad Rom.6. [Lege quæ nos lib. 1.tract.3,cap.16.]

Otium fugiendum.

Inf. c.2. §.2.

Qua ratione instruendus sit pœnitens ad militiam spiritualem. Cap. II.

1 AD Deum conuerti, eiusq. vias ingredi, militiæ nomen dare est. Propterea Eccles.2.monet Sapiens eos,qui accedunt ad seruitutem Dei, vt præparent animam suam ad tentationem; vt diximus lib. 1. Hinc Aug. in Psalm.60. *Vita nostra, inquit, in hac peregrinatione, non potest esse sine tentatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit;*

Cõtra tẽtationes pœnitẽs muniendus.

nec sibi quisque innotescit, nisi tentatus : nec potest coronari, nisi vicerit ; nec potest vincere, nisi certauerit : nec potest certare, nisi inimicũ, & tentationem habuerit : & addit, Christum Dominum eas experiri voluisse, *vt quanti æstimandæ essent ostenderet: & nos ad eas superandas instrueret*. Atqui de remedijs, de necessitate, & vtilitate tentationum, copiose diximus lib. 1. tract. 3. cap. 1. & 2. Hic autem agendum est solum de arte, qua in tentando vtitur Dæmon, & de varijs tentationum generibus.

Modi tẽtandi varij.

2 Tentat igitur Dæmon aliquando occultè, aliquando manifestè; [vt Cyprian. serm. de zelo:] *& conatur, vt potest, se in viscera cordis insinuare*; [vt docet Bern. serm. 63. in Cant. Greg. hom. 35. in Euang.] Non potest tamen essentiam animæ penetrare ; nec voluntatem interius illabendo mouere: sed solùm exterius per appetitum & sensus, non tamen cogere; [vt Aug. lib. 22. de Ciu. c. 22. D. Thom. 1. p. q. 111. & 1. 2. q. 75. art. 3. & alij :] quare interna hominis cognoscit solum ab externis; [vt Cassian. collat. 7. c. 15.] Nam obseruat partem animæ debilem, eiusq. propensiones, & vitia: [vt Greg. lib. 14. Mor. c. 6. & lib. 32. c. 12. Aug. de diuer. serm. 20. c. 11. Bernar. serm. 3. *de septem panibus*.] Sensus item minus custoditos, & tempus otij, [Greg. lib. 9. Registri. c. 8.] tentat præterea in omnibus pro occasione, & tempore : [vt Greg hom. 7. in Ezech. & hom. 35. in Euang. & Chrys. hom. 5. in Genes.]

Sup. c. 1. §. 3.

Tẽtat potius p voluptates quã per terrores

3 Tentat autem per voluptates potiùs quã per terrores. [Greg. lib. 32. Mor. c. 17.] & præ-

ser-

sertim eos, qui sunt ad illas ꝓcliuiores;Greg. ibid. & excitat partim ꝑ se voluptates: [Greg. lib.31. Mor. c.30.] partim per illusiones nocturnas,mouendo spiritus : [vt Caiet.1.2.q.80. art.2.] vel saltem cogitationes turpes ingerit, vt turbet: [Greg.lib.2. Mor.c.34. & 35.] & præsertim spiritum blasphemiæ , [vt Cassian. collat.7.c.32. Greg.lib.14. Mor.c.20. Guliel. Parisiens.lib.de tentation.& resisten.c.1.] Suscitat item varias affectiones,& desideria mala . [Greg.lib.10.Registri. c.38.] Amorem item proprium immoderatum : Gregor. lib.2. Mor.c.36.

4 Suggerit interdum vitia sub specie virtutis: [Greg.lib.3.Mor.c.24.& lib.4.Dial.cap. 48. August. lib.6. Confess.c. 13. immò verò *se trāsfigurat* interdum *in Angelum lucis*.2.Cor. 11. [Gregor.lib.4. Mor.c.8. & lib.32. cap.17. Bern.serm.64. in Cant.] & decipit sub specie maioris boni. [Bernar. serm.14. in fine super Psalm. *Qui habitat*:] Ex quo fit, vt ita illusus sit obstinatus ; vel saltem vt difficilius,& tardiùs emendetur: quia non agnoscit, nec sentit culpæ vulnera . Sic multi decipiuntur nimio studio orandi, & psallendi : nam laborem fugiunt, vt contemplatione diuinorum fruantur. [Bonau.lib. *de sex alis Seraphim* . c.3. & nos infra tract. 3.] Alij contrà nimio labore , & feruore deficiunt : & sic corpori nimis indulgere coguntur cùm iactura spiritualis profectus . [Lege Orig. hom.10. in Leu. Greg.lib. 20.Mor.c.vlt. & Past.p.3.c.13. Basil.in Const. monast.c.5 . Bern.serm.33.& 64. in Cant. Cassian.

Sub specie virtutis vitia suggerit.

sian. collat.2.cap.16. & 17. & lib.5. Inst. c.5. & quæ nos infrà, c.23.] Huc etiam spectat tētatio superbiæ, & vanæ gloriæ, ac amoris proprij occulta. Nam aliqui singulares esse volunt in disciplinæ obseruantia, suoq; duci iudicio: alij propria sponte labores, & mortificationes amplectuntur: sed imposita à superiore, se excusando, refugiunt. Contra quos inuehitur Cassian. collat.2.c.11. *neglectis enim consilijs seniorum, in suo iudicio ac definitione, doctrinaq.* confidentes, ad mortem præcipites à *D*æmone pertrahuntur. Hinc Christus Dominus, vt nos exemplo etiam doceret, cum posset arctiorem vitam eligere, communem elegit: attamen, quia Patri sic placuit, innumeris affectus opprobrijs, & cruciatibus, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.

Per deuios tramites singularitatis, ac iudicij proprij ducit.

*Philip.*2.

5 Tentat nonnumquam Dæmon seruos Dei in vitijs, in quæ aliquando inciderunt: [vt Greg. l.5. in 1.Reg. c.13. & l.7.regist. c.53.] & præsertim reuocando in memoriam voluptates ante actæ vitæ, [vt Greg. eod. c.53. Chrys. hom.2. in epist. ad Eph. Cypr. ser. de ieiunio. Bern. ser.3. in festo SS.Petri, & Pauli, & ser.35. in Cant.] Incipit autem à minimis, vt inde ad maiora ducat: [Hiero. in Psal.140. Greg. l.32. mor. c.17.] & propterea diximus venialia peccata non esse contemnenda. Remedia autem vide supra l.1. tr.2. c.14. [& apud Anton. 1.p. tract.6. cap.13. §.6.]

Suggerit peccatorū prꝍteritorum memoriam.

A minimis incipit.

6 Discedit aliquando tentator denuo rediturus; vt hominem imparatum, cùm se tutum esse

Discedit ad tēp⁹, vt incautos aggrediatur.

esse putat, aggrediatur; [Gregor. hom.35. in Euang.] Desistit enim tantisper, dum tepescat Dei famulus, & sic facilius vincatur. [Climac. grad.26. Cassia. coll.2. c.13. & coll.7. c.23.] Aliquando cùm discedit, mittit vicarium; nimirum vt homo defessus tandem cedat tentationi. [Cassia. collat.7. c.19. Chrys.hom.28. in epist.1. ad Cor.]

7 Tentat maximè incipientes, & proficientes, vt deficiant. [Greg.l.32.mor. c.17. & l.7. Regist. c.126.] malos enim iam possidet, propterea non multum in his laborat; [vt Greg. l.4.mor. c.24.] Tentat item præsertim incipienres contra vocationem. [Bern. ser.63. in Cant.] Alij verò scrupulis agitantur: de quibus l.1. tr.2. c.18. [Lege etiam Bern. serm.3. de SS. Petro, & Paulo. Cassian. collat.20. c.9. Laur. Iustin. de discipl. monast. c.12. & 16.] Aliqui nollent pati omninò motus vllos sensualitatis: alij nesciunt discernere spiritus: & cùm se putant duci spiritu Dei, ducuntur spiritu Diaboli: Alij faciles sunt ad iudicandum temerariè imperfectiones aliorum, se illis præponendo: Alij sumunt pœnitentias pro fine, & scopo; quasi in illis consistat perfectio, non in caritate; de quo nos aliàs: Alij tristitia, & pusillanimitate anguntur; de qua l.1.tr.3.c.vlt. Alij timent virium corporis imbecillitatem, atque terrentur labore Christianæ disciplinæ; [de quibus Bern. ser.6.in Psal. *Qui habitat.*] Alij denique tentationum nouitate torquentur, quas dum sæcularem vitam sectarentur, non sentiebant. Sed hos ex eo maximè solari opor-

Bonos potius, quã malos tẽtat.

Incipientes potissimum.

Quo pacto hi cõsolandi. oportet; quod signum est eos euasisse fauces Dæmonis, & esse iam in numero filiorum Dei: [lege Greg. l.7. Regist. c.126.] Sæculares verò non carent suis tentationibus: eas tamen vitijs, & negotijs distracti, non sentiunt; [vt idem Greg. l.7. mor. c.9.]

Duobus Dominis seruire velle, est maxima tẽtatio. 8 Illorum verò tentatio magis periculosa est, qui exterius profitentur vitam spiritualem, sed verè mundo seruiunt; quoniam sunt ambitiosi in rebus spiritualibus; vanam gloriam sectantur; sua commoda quærunt; sibi ipsis nimiùm confidunt; & plus assumunt, quam par est; bona opera omittunt, ne ab hominibus contemnantur; & sæpe ea faciunt, vt ab illis probentur; nihili faciunt peccata venialia; de rebus spiritualibus nunquam loquuntur; nec eas meditari curant; cum vana quadam libertate viuunt; leues sunt, & instabiles; timorem Dei à se paulatim excutiunt; conscientiam habent cauteriatam; & tamen boni Christiani haberi volunt; & putant se posse duobus Dominis seruire. Quomodo autem hi adiuuandi sint, ex antedictis patet; [lege Dor. ser. 1. & Mac. hom. 49. & quæ nos l.1. tr.3. c.16.]

Tẽtationum septem genera, seu qualitates. 9 Ad hæc facilè reducuntur septem genera tentationum: [quæ constituit Richar. de S. Victore in Psal. 90. & Ant. 1.p. tit.6. c.13. §.4.] Prima est importuna; quæ scilicet multum insistit. Secunda, dubia; quæ animum reddit ancipitem. Tertia, subita; quæ præuenit iudicium rationis. Quarta, occulta; quæ vix cognosci potest: abscondit enim Dæmon sæpe laqueos, & decipit homines sub specie recti.

Quin-

Quinta, violenta; quæ supra vires mentis censetur. Sexta, fraudulenta; quæ animum seducit. Septima, perplexa; quæ ducit ad varia vitia: nunquam tamen cogi potest voluntas, nec permittit Deus nos supra vires tentari. 1. Cor. 10. [Lege Cassia. coll. 7. c. 20. atque de tentandi modis, Guiliel. Paris. l. de tentation. & resist. & Ant. par. 1. tit. 6. c. 13. §. 4. & quæ nos infra tract. 2. cap. 10.]

De Progressu in via Domini faciendo, & medijs ad eum. Cap. III.

MAgnum est benè cœpisse: nisi tamen ad optatum finem opus inceptum perducatur, parum prodest: Nam & naues vela pandentes iter secundis ventis arripiunt, sæpe tamen franguntur; & ante in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspiciant: sic qui in viam Domini se dant, interdum deficiunt, & propterea salutem non consequuntur: quoniam vt ait Dominus Matth. 10. & 24. *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* & item Apost. 1. Cor. 9. *Nescitis*, inquit, *quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic currite, vt comprehendatis.* & 2. ad Tim. 2. *Nam & qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certauerit.* Studeat ergo omni conatu Confessarius, vt pœnitens beneficio vocationis respondeat, Deoq. os cordis aperiat; vt attracto spiritu dilatetur: sic enim fiet, vt viam mandatorum eius facilè currat, & ita currat, vt brauium comprehen-

In via spiritus semper progrediendũ.

Psal. 118

L

Progressus in quibus consistat.

prehendat. Opera autem, in quæ præsertim incumbere debet, sunt, frequentia sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: deuotio erga signũ Crucis, aquam benedictam, & inuocationem Sanctorũ, maximeq. B. Virginis; frequẽtatio itẽ diuinorum officiorum, & concionum: vsus examinandæ conscientiæ; lectio librorum spiritualium. Statuat præterea sibi semper dum viuit esse in spiritu progrediendum; nec proprijs viribus, sed sola Dei ope esse confidendum: Peccata verò, etiam leuia, sedulo sibi esse vitanda; & præsertim quæ magis perfectioni aduersantur. Pœnitentiæ, atque misericordiæ opera stato tempore impleat; nihil sine consilio Confessarij agat: & denique in graui ægritudine se spirituali præsidio muniat: de quibus omnibus sigillatim deinceps præcipua quædam capita attingam.

De frequentia sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Cap. IV.

Hortandus pœnitẽs ad sacramenta. *Tole. l. 6. c. 14. & seq.*

HOrtetur in primis pœnitentem ad vsum frequentem sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: quæ, vt cum fructu maiore sumat, legat libros suo captui accommodatos; ex quibus discet modum se ad ea rite præparandi, adiuncta opera Confessarij: *vnusq. sit ei dolor, vna mæstitia, si hoc alimento spirituali priuetur*; [vt monet Chrys. hom. 83. in Matth. in fine:] *Nam animæ vis est, nerui mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra*; [vt idem hom. 24. in ep. 1. ad Cor.]

Euchari stiæ præstãtia, & fructus.

Item

Item quia in hac sacra communione, *Caro corpore, & sanguine Christi vescitur; vt anima de Deo saginetur*; vt Tert. l. de resurr. carnis. Adde quod *sedat, cùm in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit*; [vt Cyril. l. 4. in Ioan. c. 17.] Item, *Dum in hac vita sumus, vt terra nobis cælum sit, facit hoc mysterium.* [Chrysost. hom. 24. in ep. 1. ad Cor.] *Quo non oportet igitur esse puriorem, tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? os, quod igne spiritali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris: quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos vnimur; & facti sumus vnum Christi corpus, & vna caro.* [Lege Chrys. hom. 60. ad pop. & hom. 61.] Quid plura? est manna absconditum, pignus resurrectionis, & gloriæ æternæ, Ioan. 6. diuina esca animæ, nos vniens Deo; medicina salutaris, quæ sanat omnes infirmitates nostras; & denique viaticum, quo ducimur ad patriam: vt dicam c. 16. [Lege Cypr. in ser. de Cœna Dom.]

Puritas, quæ ad eam requiritur.

De frequentia verò Eucharistiæ, non est necesse plura dicere; cùm sit panis quotidianus: Mundus igitur sit vnusquisque à peccato; & confidenter sumat, quia *Cibus est, non venenum, & panis vitæ, non mortis: qui nobis non sentientibus animam reficit, & roborat; ac melius quàm cibus corporalis corpus*: vt ait Lauren.

Confidēter sumenda.

Auctores pro frequentia Eucharistię consulédi.

Iustin. [Lege de hac frequentia B. Ignat. ep.10. ad Ephes. Chrys. hom.5. in ep. ad Tim. & hom.28. in 1. ad Cor. & in orat. de B. Philogonio, & hom.83. in Matth. Cypr. de Orat. Domin. Hilar. & habetur can. *Si non sunt*, de consecr. d.2. Ambr. l.5. de sacram. c.4. quod habetur in c. *Si quotiescunque*. de cons. dist.2. Hieron. ep.28. ad Lucinium, & alibi. Aug. vt habetur in c. *Vtrum*. de consecr. d.2. & in tract.26. super Ioann. & in ep.118. ad Ianuar. & serm.28. de verbis Dom. item Greg. ho.22. in Euang. vt habetur in c. *Quid sit sanguis*. de consecr. d.2. Bernar. serm. de Cœna Domini. D.Thom. 3.p. q.80. art.10. Bonau. in 4. d.12. & l.2. de profectu relig. c.78. Gers. super *Magnificat*. Adria. in 4. Francis. Arias. Madrid. in lib. de hac re, & alios.]

De deuotione erga signum Crucis. Cap. V.

Signo Crucis initio actionũ se muniat.

Deinde moneat, vt initio singularum actionum signet se deuotè signo Crucis. Primum, quia Apostoli in hoc signo mysterium Crucis comprehenderunt; [vt Cypr. serm. de passio. Domini; Greg. Nyss. orat. catechetica c.32. Aug. epist. 112. c.13. & epist. 120. c.26. docent;] imò verò esse traditionem Apostolicam tradit Basil. [l. de Spiritu Sancto. c.27. Greg. Nazianz. orat.47. seu orat.1. ad Iulia. Ephr. l. de pœnit. c.3.] Secundò, quoniam est maximè vtile: est enim loco orationis, oblationis, & coniurationis Dæmonis; valet item ad excitandam in anima spem, & charitatem,

Eius vtilitas.

atque

atque animam ipsam ad imitationem Christi; & propterea adhibitum fuisse ab initio ad omnem actionem, vt docet Tert. l. de corona militis; & addit, debere nos Crucem diligere, & venerari, quòd imago sit nostri sponsi. item Ephr. loco citato, *Pingamus*, inquit, *in ianuis, in ore, & in pectore*, &c. *Hoc enim signo conspecto, recedunt Dæmones*: [vt Hieron. ad Eustoc. Aug. in Psalm. 73. & l. 2. de symbol. ad catechumen.] Athan. l. de Incarn. verbi; *Signo*, inquit, *Crucis, omnia magica compescuntur*. Præterea vt nos hoc signo sæpe muniamus, hortatur Ambr. [ser. 43. Ephr. tom. 2. paræn. 1. & tom. 3. ser. de sancta Cruce. Macar. hom. 47. Cyril. Hierosoly. catechesi 13. Hieron. ep. ad Demetriad. Aug. tract. 118. in Ioan. & Cassia. Collat. 8. c. 18. qui asserit ita D. Antonium fugasse Dæmones, omitto alios.] Fuit autem semper in vsu, vt manu dextera signetur, vt notat Iustin. Suadet præterea Chrys. hom. 8. in epist. ad Coloss. vt super infirmos signum hoc Crucis fiat: imo vero D. Greg. l. 3. Dialog. c. 35. refert, Amantium hoc signo curasse phreneticum: & item vt supra cibos adhibeatur monet Chrys. hom. 12. in 1. ad Tim. & miraculum in eo accidisse refert Greg. l. 1. Dial. c. 4. & 11. Et l. 2. Dial. c. 3. refert D. Benedictum signo Crucis fregisse cyathum poculi venenati; alia etiam miracula afferuntur, quæ hic describere non est necesse. Admoneat denique, vt post sumptum cibum Deo gratias agat, [vt Chrys. hom. 56. in Matth. Ambr. serm. 42.]

Ad hoc nos Sācti Patres hortantur.

Adhibeatur super infirmos & cibos.

De vsu Aquæ benedictæ. Cap. VI.

Aquæ benedictæ prisca traditio.

HOrtetur insuper pœnitentem ad vsum frequentem aquæ benedictæ; qui etiam inductus est ex traditione Apostolica; [vt docet Basil.lib.de Spiritu sancto cap.27.& Clem. lib.8.Const.cap.35.namque eius meminit Dionys.Areopag. lib.de Ecclesiastica Hier. cap. 3. de Baptismo. Cyril. Cyprian. Ambros. & alij, quos refert Bellarm.lib.3. de cultu Sanctorum cap.7.] Valet autem plurimum ad fugandos Dæmones, morbosq. curandos: Nam Fortunatus huius aspersione sanauit femur, quod viro cuidam de equo cadenti fractum est;[vt refert Greg.lib.1.Dial.c.10.] fœminam item curatã hac aqua, testatur Beda lib.5.Hist.c.4. Eadem præterea Malachiam curasse phreneticum, scribit D.Bernar.in vita Malachiæ. Propterea Alexand.I. eius vsum confirmauit, & innouauit; vt habetur in cap.*Aquam sale*,de consecr. d. 3. & in Concilio Nanetensi can. 4. & ita ad hoc vsque tempus seruatum semper fuit in Ecclesia. Adde quod remittit peccata venialia; [de quo lege Henriq.lib.1.Summæ c.20.]

Eius vsus, atq; vtilitas.

Deuotio erga res alias sacras.

Moneat denique, vt quisque teneat in cubiculo non solum vas aquæ benedictæ, qua sæpe aspergatur; sed etiam candelam, & palmam benedictam: atque in die Cinerum singulis annis caput sacro cineri subijciat; hæc enim ad deuotionem augendam maximè conferunt; & ad Dæmones fugandos; & habentur ex traditione Apostolica; vt in loco suprà adducto probat

bat Bellarm. Cereos item agnos Dei apud se habeat, coronas benedictas, & similia: & denique ad omnia sacramentalia sit benè affectus; his enim disponitur anima ad spiritualia, & diuina munera.

De inuocatione Sanctorum. Cap. VII.

INter præcipua vitæ spiritualis præsidia, ac media perfectionis, & salutis, moneat esse Orationem, tum vocalem, tum maximè mentalem; de qua infra dicemus tract. 2. cap. 13. Ac primùm doceat orationem vocalem; idest, recitare Coronam, vel Rosarium B. Virginis, vel aliam similem; deinde paulatim rationem, ac modum tradat meditandi mysteria Rosarij, vel passionis Domini, aut quatuor nouissima, & alia eiusdem generis, proposito aliquo libello de oratione. Verumtamen vt pœnitens non solum orationis donum, sed omnia etiam bona facilius à Deo, multiplicatis intercessoribus, impetrare possit; studiosè nitatur Confessarius deuotionem Angelorum, Sanctorumq. omnium, & præsertim Angeli custodis, & proprij aduocati, sed maxime sanctissimæ Deiparæ Virginis cordi eius imprimere; ità vt quotidie offerat ei orationem aliquam, mortificationem, & aliud etiam opus bonum: sic enim fiet, vt de salute sua non desperet. Nam, vt ait Landulphus lib. de vita Christi, *Ille non timet æternum væ; pro quo semel orauerit Maria:* & Ansel. lib. de excellentia B. Virg. Mariæ, *Ad Mariam conuersus, & ab ea conspectus, impossi-*

Instituẽdus est pœnitens in Oratione, ac Meditatione.

Deuotio erga B. V. & alios Sanctos.

Quot bona ex protectione B. V.

possibile est, vt pereat: sed quid si protectionem eius suscipiat, & pro eo sæpe oret? Intellige nimirum, quia sperandum est de tanta aduocata, fore vt impetret gratiam, & perseuerantiam in bono, per quam saluabitur: propterea monet D.Bernar. serm. de Natiu.B.Virg. *Votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Idem etiam docet Christum esse fontem vitæ, *Mariam verò aquaductum; per eam enim gratia infunditur aliis, cum sit gratia plena;* iuxta Eccles. 24. *Ego sicut aquaductus exiui de paradiso.* Monet præterea in serm. 2. de Maria: *Non recedat ab ore, non recedat à corde; & vt impetres eius orationis suffragiū, non deseras conuersationis exemplum: ipsam sequens non deuias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras: ipsa tenente non corruis: ipsa protegente non metuis: ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia peruenis;* & alibi: *O peccator, si ad conspectum Patris accedere times, ne liquescas quasi cera à facie ignis; vade ad Mediatricem matrem misericordiæ, & ostende ei vulnus, & vlcera; & ipsa pro te ostendet filio, pectus, & vbera; & filius patri latus, & vulnera; pater non negabit filio; filius non negabit matri; & mater non negabit tibi.* Item alio loco, *Ille solus, ò Virgo, laudes tuas sileat, qui te fideliter inuocatam senserit in suis necessitatibus defuisse; & quid mirum si inuocata adest, quæ etiam non vocata præsto est?* Hactenus Bern. Hinc Prou. 16. *Clementia eius quasi imber serotinus.* Et Zacharias Episcopus: *Nul-*

li, inquit, *dignè postulanti auxilium negat, & pro nullo apud filium frustra interpellat*. Illud etiam adiungo, quod nos proteget, & ditabit tamquam filios, qui tanto nomine dignamur: Dicitur enim mater viuentium; quia neminem à sua protectione excludit: peculiari tamen ratione dicitur *Mater Christianorum:* [vt Tert. Orig. Aug. & Rupert. Abbas adnotarunt.] Ioannes enim Apostolus, cui iuxta Crucem Christus Dominus matrem hanc suam commendauit, eiq. in matrem dedit, totius Ecclesiæ tunc personā gerebat: vt propterea Ioannis nomine, omnes fideles B. Virginis filij sint constituti, ipsaq. loco matris illis data sit; vt docet Rupertus. Adde quòd cùm verè genuerit caput mystici corporis Christum, iure mater nostra est, & nominatur: Quapropter Ecclesia matrem misericordiæ vocat; & tanquam matrem inuocare nos docet, cùm orat; *Monstra te esse matrem*. Hinc Hieron. ad Paulam, & Eustoch. epist. 10. tom. 9. *Sicut*, inquit, *in comparatione Dei nemo bonus; ita & in comparatione matris Domini nulla inuenitur perfecta creatura, quamuis virtutibus eximia comprobetur: vnus est enim Pater noster, qui in cælis est, & vna est Mater nostra, vna est virtutum forma Mariæ: & idcirco hanc imitemini moribus, sequimini castitatem eius, & implorate auxilium*. Et item Petrus Damianus: *Summa*, inquit, *gloria est, post Deum te videre, adhærere tibi, & in tua protectionis munimine demorari*. Ex his sequitur maxima veneratione, cum fiducia filiali coniuncta, ad eam nobis esse in-

Maria est mater Christianorum.

ne.

Mariæ Enco-- mia.

necessitatibus recurrendum: Est enim *Regina Cæli, & Angelorum:* immo totius mundi domina valde potens: est præterea *Stupendum, etiam in cælis miraculum*; vt ait Epiphan. Est item *Cælestis Thesaurus, Deitatis diuitiæ, plenissima sanctitas, perfecta iustitia, & Regis cælestis domus immaculata*; [vt Hieron. in epist. ad Pammachium.] Hinc Magistra dicitur Apostolorum; quippe quæ maximè omnium erat diuino lumine illustrata; vt tradit D. Ignatius, Bern. & Ansel. *Cælum* præterea, *verè animatum, vitæ thesaurus, & gratiæ abyssus, & quæ cunctas res creatas superat*, vt asserit Damasc. Quapropter plurimi ad illam confluebant, religionis, atque admirationis causa, *Velut ad celeste prodigium, & sacratissimum spectaculum*; vt Ignat. epist. 1. & 2. ad Ioann. Immò aliqui ausi sunt asserere, sæpe eam in raptu vidisse essentiam Dei; [vt Cypr. ser. de Natali. Bern. serm. 4. super *Missus est*, Rupert. l. 3. in Cant. Ant. 4. p. tit. 15. c. 17. Suar. in 3. p. to. 2. disp. 19. sect. 4.] Quis enim Deiparæ, Reginæq. Sanctorum negare audeat, quod ipsius dignitati maximè congruit, & alijs Sanctis interdum concessum a Deo fuisse probabiliter asseritur? Non igitur mirum, si D. Dionysius eo admirationis peruenerit, vt se illam tanquam Deum adoraturum fuisse affirmauerit, nisi verum Deum cognouisset; [vt refert Dionys. Carth. in exposit. c. 3. de diuin. nomin.] Tanta præterea erat eius vultus maiestas, & pulchritudo, vt suo aspectu, non solùm ad pudicitiam omnes excitauerit, sed motum etiam concupiscen-

B. V. aspectus tentationes reprimit.

ſcentiæ ipſam intuentibus repreſſerit; [vt teſtatur D. Tho. in 3. d. 3. q. 1. ar. 2. Bonau. q. 2. & 3. Gabr. q. 2. & d. 4. q. vnic. ar. 3. Alenſ. 3. p. q. 9. memb. 3. ar. 1. qui dicit hoc fuiſſe donum gratiæ: fauet etiam Sancta Brigida in Reuel. l. 1. c. 10. & l. 3. c. 8.] Immo verò D. Ambroſ. *Tanta*, inquit, *erat potentia, vt non tantum in ſe virginitatem ſeruaret, ſed etiam iis, quos videret, integritatem inſignem conferret*. Atque hinc fortaſſe ſumpſere Patres remedium illud ad ſedandas carnis tentationes, aſpicere videlicet B. Virginis imaginē: in quo vim magnā eſſe, miraculum confirmauit, [vt Damaſcen. orat. 1. & 3. de imaginibus] Verumtamen in tanta Virgine, tamq. Deo grata hæc miranda non ſunt: *Eſt etenim* (vt cum Bern. loquar) *abyſſus luminis, ad cuius fulgoris vehementiam, etiam angelicus oculus caligat:* Namq. luci inacceſſibili immerſa, penetrauit abyſſos diuinæ ſapientiæ: & quod his omnibus antecellit, eſt mater Dei; ac proinde vita iuſtorum, dulcedo pœnitentium, ſpes denique peccatorum. Quapropter ſperamus fore, vt per eam acceſſum habeamus ad filium, & miſericordiam conſequamur. [De Angelo Cuſtode lege Orig. hom. 11. & 20. in Num. Greg. l. 17. Mor. c. 7. Chryſ. hom. 27. in Acta. Hieron. l. 3. c. 18. comm. in Matth. & alibi. Caſſia. coll. 8. c. 17. De interceſſione verò Sanctorum Chryſ. hom. 1. in epiſt. 1. ad Theſſ. Bellar. controu. 4. l. 1. c. 15. & ſeq. De Reliquijs denique, & imaginibus Sanctorum Bellar. controu. 3. l. 2.]

De Angelo Cuſtode.

De interceſſione Sanctorum.

De Officijs Diuinis frequentandis. *Cap. VIII.*

Missa frequentius audiẽda.

MOneat præterea, vt diuina officia in Ecclesia deuotè audiat, & præsertim Missam; cui si potest, singulis diebus intersit; vt in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs, offerat cum sacerdote propitiatorium illud, & incruentum sacrificium Deo Patri: *Cui Angeli de cælo descendentes astant, summa cum admiratione, & reuerentia*; [vt asserit Chrysost. hom. 61. ad pop.] Hinc prostratos Angelos vidit quidam senex, [vt refert idem Chrysost. l.6. de Sacerd.] Immò Greg. l.4. Dial. c.58. ait: *Tempore consecrationis aperiri quodammodo cælos, & choros adesse Angelorum*. Plura in hanc sententiam lege apud Chrys. hom.60. ad popul. & hom. 83. in Matth. vbi sic loquitur: *Verùm & tu laice, cùm Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem esse putes hoc facientem: sed Christi manum inuisibiliter extensam*. Hæc ille. Quia nimirum transubstantiationis causa principalis est Deus: causa autem meritoria Christus Dominus: instrumentalis verò Sacerdos: qui vt minister offert Deo Patri sacrificium nomine Ecclesiæ; quod etiam à Christo ipso offertur in cœlis. [Cypr. serm. de Cœna Domini. Chrys. hom.17. ad Hebr. Item ex c. *Firmiter*. de summa Trin. & fide cathol. Conc. Trid. sess.22. c.2. de sacrificio Missæ.] Fauent etiam aliqua Decreti capita, de consec. d.2. c. *In Christo*, cap. *Quia corpus*, c. *Iteratur*.

Ei Angeli assistunt.

c. *quid*

c. *Quid sit sanguis*; etenim *quia quotidie labimur, quotidie Christus immolatur*. Ex quo facilè intelligi potest, quanta ex eo dimanet in animas, & corpora fidelium vtilitas, quanta cælestium charismatum copia. Per illud namque remittitur astantibus, pio cordis affectu intentis, peccatum veniale: impetratur item dispositio pro remissione peccatorum mortalium, & gratia ad benè viuendum, & ad omnia pericula, etiam corporalia, & temporalia vitanda; fugantur præterea Dæmones, [vt patet ex Aug. l.22. de Ciu. c.8.] Adde quòd species illæ sacramentales habent, quia continent Christum, vim sanctificandi, & viuificandi; [vt Cypr. ser. de Cœna Dom. & D. Thom. p.3. q.73. art. 1. ad 2.] nempè virtute Corporis Christi veri. [Henriq. l.1. c.18. n.3. & Suar. tom.3. disp.42. sect.3. Lege quæ nos lib.1. tract.2. c.3. n. 3.]

Fructus Missæ.

Quis igitur sanctissimas illas species aspiciens magnum non referet fructum? quis dignè tangens non viuificabitur? Si etenim Num. 21. aspectus serpentis conferebat salutem vulneratis; & Act. 5. vmbra Petri curabat ægrotos: quid erit de admirabili hoc sacramento sperandum, quod vitæ, & gratiæ continet auctorem? qui aduenit quotidie, vt filios suos pascat, & bonis omnibus ditet. Quis igitur filiorum erit tam ingratus, qui in dies singulos tantum patrem non visitet, adoret, & saltem spiritualiter sumat? Ex quibus intelligitur, cur vsitatum semper in Ecclesia fuerit, vt fideles frequentes Missam audirent; Propterea enim

Vsus antiquus eã audiẽdi.

in

in Conc. Tolet. primo præcipitur Clericis, vt quotidie Missæ intersint; &, vt alios omittam, in hoc Sancta Monica singulariter laudatur à Sancto Aug. lib.9. Confess.c.13. Liquet etiam quanta attentione, quanta deuotione, & reuerentia sit audienda: nam sursum corda extollenda sunt ad cœlum, vt monemur in præfatione, [& obseruat Cypr. in ser.de cœna Domini.] Ad hæc perspicuum est, quanta digni sint reprehensione impudentes illi Christiani, qui, dum cœlestes virtutes tremunt, in ipsa Missa loquuntur, rident, deambulant: [contra quos inuehitur Chrysost. hom. 15. in epist. ad Hebr. & Conc.Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ.]

Deuotè est audienda.

De diuinis Officijs.

De omnibus verò diuinis officijs, Dionys. Areop. Eccles. Hierar. cap.3. *Psalmorum*, inquit, *sacra oratio, & omnis hagiographia ad deificationem animorum nostrorum opportunè narratur.* Et Tertul. l. de corona militis sic ait; *Quando fideles templa adeunt, grata est hæc vis Deo.* Et Chrysost. hom.79. ad populum. *In Ecclesia,* inquit, *aliud maius est, quàm domi orare; nempe vnanimitas, & consonantia, charitatis vinculum, sacerdotum orationes*, &c.

Manè orandum.

Atqui mane præsertim orandum; vt primos animæ motus Deo consecremus, & de eo primum cogitemus; [vt Basil.in reg. fusè disput. Interr.37. simile Clem.Rom.Const.68. cap.40.

Cantus Ecclesiasticus.

De cantu denique Ecclesiastico lege Aug. lib. 10.Confess.c.33. Iustin.in solut.q.107. Basil.in Psal. 1.Athan.l.de interpret.Psalm.ad Marcel. Bellar.l.2.de Missa c.15.to.3.]

De

De Examine conscientiæ. Cap. IX.

EXaminent quotidie conscientiam suam; ita vt singulas cogitationes, verba, & opera discutientes, videant an in actu aliquo Deũ, vel proximum offenderint: & in illo præsertim vitio magis insistant, à quo magis impugnantur; vel quod præcipuè expugnandum susceperunt: hac enim ratione vitia breui extirpantur, adiuncta oratione, & pœnitentia: Deo enim facile est hominem in momento temporis sanctificare, sed tamen his animus præparatur. [Lege Chrysostom. hom. 11. in Gen. & homil. 71. ad populum, & super Psal. 4. Greg. lib. 9. Mor. cap. 13. & lib. 25. cap. 6. hom. 4. in Ezech. Basil. Constit. monast. c. 5. August. hom. 41. in lib. 50. homil. Doroth. serm. 3. & 10. Clima. grad. 24. & 26. Ephr. tom. 3. de vita religiosa, & alibi. Cassian. collat. 5. c. 16. & 27. & collat. 1. c. 21. & 22. & lib. 12. Instit. c. 13. & 14. Bernar. serm. 55. in Cant. & in epistola ad fratres de monte Dei.] Debet tamen discretè fieri, ne detur scrupulis occasio. Greg. lib. 9. Mor. c. 13. Lege etiam Exercitiorum spiritualium B. Ignatij libellum: vbi triplex proponitur examen; Vnum generale pro omnibus peccatis, &c. Alterum particulare; quod assumitur ad corrigendum particulare aliquod peccatum; [de quo Cassian. collat. 5. c. 14.] & fit praxis vt singulis mensibus, vel hebdomadis vnum ex præcipuis emendandum sumamus, & deinceps alia. Postremum examen est de quotidia-

Examen consciẽtiæ quale.

Auctores qui de illo.

Examen triplex.

tidianis peccatis, quod semel saltem in die est adhibendum. Illud denique admoneo, hanc examinis reflexionem debere esse efficacem; suam non est satis in proposito, vel desiderio sistere, sed vsque ad morum emendationem pergere necesse est.

Efficax esse debet.

De Concione, & sacra lectione audienda.
Cap. X.

Diuini Verbi audiēdi necessitas, & fruct⁹.

AD hæc audiant concionem, & sacram lectionem stato tempore attentè, ac deuotè; [vt monet Orig. hom.13. in Exod. & hom.7. in Num. Greg.lib.6.Moral.c.23. August.hom. 26. in lib.50. hom.] *Quia*, inquit, *non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm qui corpus Christi in terram negligentia sua cadere permiserit*. Item quia verbum Dei perficit mentem; vt Chrysost.hom.2. in Matt. & dæmonem fugat; vt idem hom. 14. in Gen. Adde quod auiditas audiendi verbi Dei est signum sanitatis spiritualis; sicut fames, sanitatis corporalis; [vt Chrysost.hom.4. in Gen. Ephr.tom.1.serm.96.] Immo verò est signum prædestinationis, Ioan.8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*: & cap. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt*. Præterea disponit animam ad contritionem: hinc Hierem.29. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* & Eccles.12. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi*. Et Apostolus ad Hebr.4. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio* anci-

Est signū sanitatis animæ, & prædestinationis.

Disponit ad cōtritionem.

ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. Ex his intelligitur eos, qui verbo Dei nō delectantur, morbo spirituali grauiter laborare; vt notat Ephr. loco citato.

Loquendum de rebus spiritualibus.

Assuescant item propter easdem causas loqui de rebus spiritualibus; his enim sermonibus animus afficitur, & ad diuina gustanda commouetur: ideoq. meritò à Sanctis Patribus verbo & exemplo commendatur. [Lege August. lib. 8. Confess. cap. 12. Origenem, Basil. Bernard. & alios quos adduxi lib. 1. tract. 3. c. 6.] Confert insuper ad deuotionem lectio librorum spiritualium; vt docet Chrysost. hom. 29. & 35. in Gen. & hom. 28. in epist. ad Rom. & alibi. Bern. serm. 50. ad sororem: *Cum oramus*, inquit, *cum Deo loquimur: cum legimus, Deus nobiscum loquitur*; Simile Hieron. in ep. 22. ad Eustoch. Et præsertim lectio sacræ Scripturæ: est enim epistola Dei; vt infrà dicam tract. 2. cap. 13. §. 8. Hinc Ephr. tom. 1. serm. de patient. & consum. sæculi: *Incumbe*, inquit, *lectioni sacræ, & orationi, vt sanctificeris*; & infrà docet accuratè, & cum obseruatione legendum, non autem multa percurrendo. [Lege Scholia in eundem locum, vbi multa loca Sanctorum Patrum indicantur. pag. 49.]

Lectio librorum spiritualium vtilis.

Porrò non eloquentia, sed vtilitas in lectione librorum spiritualium quærenda est. [Vt monet Ephr. tom. 1. serm. 9. Clem. Alexand. lib. 1. Strom. Orig. lib. 6. contra Celsum, Cyrillus Hierosol. catech. 4. Athan. hom. de semente, Basil. in Hexaëm. homil. 1. Greg. Naz. in orat.

In lectione vtilitas quærēda, nō eloquentia.

31. in laudem Athanasij. Chrysost. lib. 3. *contra vituperatores vitæ Monast.* Hieron. in epist. 13. & 103. *ad Paulinum*, & alibi. Aug. in qq. mixt. Greg. in epist. in lib. Moral. Theodor. de *Martyrib.* Prosper lib. 3. *de vita contempl.* cap. vlt.]

Quod in via Domini est semper progrediendum. Cap. XI.

In via Dñi sẽp. progrediendũ.

CVret etiam Confessarius, vt pœnitens intelligat, & statuat constantissime, sibi perpetuo, dum viuit, esse in spiritu progrediendũ, quia *In via Domini non progredi, est retrogredi: & vbi quis incipit nolle fieri melior, ibi desinit esse bonus:* [vt Bern. epist. 91. ad Abbates: & serm. 2. de Purific. & serm. 57. in Cantica.] Aug. in Psal. 69. & serm. 31. de verbis Apostoli: *Semper*, inquit, *tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id, quod non es.* [Similia Hieron. in epist. ad Demetriadem. Macar. hom. 15. Cassian. collat. 6. cap. 14.] Quare *Numquam dicit iustus, satis est, sed semper esurit, sititq. iustitiam:* aspirat enim ad infinitum, & æternum

Rom. 8.

bonum; ad quod *non sunt condigna passiones huius temporis: in cælo autem mansiones multæ sunt.* Ioan. 14. *Et stella differt à stella in claritate.* 1. ad Cor. 15. Item quia tot tantisq. Dei beneficijs respondere non sufficimus; voluntate igitur saltem satisfaciamus. Illud præterea nos inuitat ad currendum, quod Deus cum sanctis nos expectat: [vt Bern. serm. 2. in Vigilia Natiuit. Domini.] Exemplum item Christi Domini, qui numquam stetit, vt Bern. in

Incitamẽta ad progressum spirituale.

epist.

epist. 154. similiter aliorum sanctorum: Lege Athan. in vita S.Antonij, qui id verbo, & exēplo docuit. Iuuat autem ad hoc primum, vt sibi quisque persuadeat, se quotidie incipere, iuxta Bern. epist. 142. Sic Dauid Psalm. 76. *Ego dixi, nunc cœpi*: & Apostolus ad Philip. 3. *Quæ retro sunt obliuiscens, ad interiora me extendo.* Greg. 22. Mor. cap. 20. Item ad Ephes. 4. *Renouamini Spiritu mentis vestræ.* Greg. 25. Mor. c. 6. Secundò, ne animo cadat, cum videt se parum proficere: quoniam *hoc inuenisse, perfectio est*: vt August. serm. 50. de tempore: Item quia *proficiendi studiũ perfectio nuncupatur*; vt Bern. epist. 254. & lib. 2. de Consider. Precetur tamen assiduè Deum, vt eius cor dilatet sui spiritus feruore; nam Dauid Psal. 118. *Viam*, inquit, *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Et item oret cum August. Soliloq. c. 1. *Crea nouum olfactum, odor vitæ, qui post te currat in odorem vnguentorum tuorum.* Tertiò denique statuat neminem excludi à studio consequendæ perfectionis, dummodo velit mores corrigere; seu veterem hominem deponere, & nouum induere: [vt Cassian. collat. 4. c. 19. & Clim. grad. 1.]

Remedia ad eundẽ ẽgressũ.

De Diffidentia sui ipsius. Cap. XII.

QVoniam verò tanta est virium nostrarum imbecillitas, vt ne cogitare quidem boni aliquid possimus ex nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo sit, qui dat velle, & perficere: tanquam fundamentum spiritua- 2. Cor. 3

Est fundamentũ vitæ spiritualis. lis ædificij ponendum est, diffidere nos omnino oportere nostris viribus, totamq. spem benè viuendi in Deo collocare: sic enim pacem consequemur; [vt Chrysost. hom. 24. in Acta.]

Et effectus humilitatis. Hæc autem diffidentia sui ipsius effectus est humilitatis, quæ est fundamentum virtutum: [vt Aug. ser. 10. de verb. Dom. Doroth. ser. 21. Macar. hom. 12. & 18. Climac. grad. 45. Basil. hom. 22. D. Tho. 2. 2. q. 161. ar. 2. ad 1. & nos infra tr. 2. c. 32.] Qui etenim est humilis sentit de seipso infra quam sit, [vt Greg. l. 24. mor. c. 17.] Atqui hanc diffidentiam sapientes mundi non cognouerunt; sed Deus eam nos docuit:

Est virt⁹ Christiana. quapropter est virtus Christiana; [vt Caiet. in Matth. c. 23.] Requirit tamen hominis cooperationem: quoniam cùm simus Dei ædificatio, vt ait Apost. 1. Cor. 3. laborare nos oportet in hoc ædificio, vt coædificemur *in habitaculum Dei in Spiritu sancto.* ad Eph. 2.

Diffidentię sui signa. Tribus autem præsertim indicijs dignoscitur, an diffidamus nobis. Primum est, cum initio cuiusque actionis nos Deo commendamus: atque ab eo postulamus auxilium, quo ad gloriam suam omnia à nobis bene fiant: nam ait Dauid Psal. 9. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua*, quod nisi fecerimus, decipiemur. Lege Iosue c. 9. Quare tamquam mendici Dei, in eius ope confisi, dicamus cum Propheta Psal. 39. *Ego autem mendicus sum, & pauper*, &c. & Psalm. 64. *Deus in adiutorium meum intende*; vt monet Cassia. coll. 10. c. 10. Item, *Opera manuum nostrarum dirige.* Item, *Sancta Maria, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, &c.*

1. Diuinum auxilium implorare.

Psal. 89.

& se-

& similia, quibus Dei opem imploremus, sine qua nulli sumus. Secundum indicium est, cùm vitamus diligenter occasiones peccatorum: hac enim via Sancti perseuerantes coronam sunt consequuti; & qui eam contempserunt, ceciderunt. [Greg. 26. moral. c. 13. & nos l. 1. tract. 3. c. 11. n. 6.] Tertium cùm, Dei auxilio freti, eius opera etiam difficilia audacter aggredimur: sic Ionathas 1. Reg. 13. & 14. sic Sancti omnes obseruarunt: [vt Bern. serm. 54. in Cant.] Ex his sequitur eum, qui sibi, omnibusq. rebus creatis diffidit, posse fiduciam in operibus bonis, & intercessione Sanctorum collocare: dummodo omnem suam primariam spem in Deo repositam, ac collocatam habeat; [vt Conc. Trid. sess. 6. c. 16. de iustif. & D. Th. 2. 2. q. 25. ar. 1. ad 3.] Deinde sequitur debere vnumquemque diuinæ gratiæ cooperari, actibusq. religionis, ac pœnitentiæ pro virili se disponere: non tamen his adeo confidere, quasi omnia in illis sint; sed in omnibus à Deo maximè pendere; atque adeo, vt nihil se posse absque eius ope arbitretur: & propterea tamquam pullus hirundinis clamet ad eum; & quicquid in se siue luminis in mente, siue dulcedinis, ac deuotionis in affectu senserit, id totum Patri luminum, ac Paracleto acceptum referat: cumq. adhibita diligentia consueta, se aridum sentit, eidem gratias agat: nec se parum profecisse arbitretur, quod diuinæ eius voluntati parere studuerit, seq. parum proficere cognoscat; vt paulo ante c. 11. & alibi monuimus.

2. Vitare peccādi occasiones.

3. Ardua opera diuina ope aggredi.

Cooperatio nostra pendet ex diuina gratia. *Isa. 38.*

Quod peccata etiam leuia sunt vitanda.
Cap. XIII.

Leuia peccata vitanda.

STudeat item diligenter vitare leuia peccata; nam *Qui spernit modica paulatim decidit*, Eccl.19. Idq. vt facilius assequatur, Deũ timeat; *Qui enim timet Deum nihil negligit*, Eccles.7. Quamuis autem omnia vitari non possint sine singulari priuilegio, singula tamen diuina ope vitari possunt. Propterea curandum est, vt in paucissima incidamus, eaq. citò deleantur. [Orig. hom.6. in Leu. Greg. l.10. Mor.c.14. & l.21.Mor. c.5. Bernar. serm.1. in Conuers. S. Pauli. Basil. in Reg. breu. q. 18. Chrys.hom.8. in epist.1. ad Cor. & hom.87. in Matth.] vbi docet magis cauenda esse parua, quàm magna; quia reddunt hominem desidem. Adde quòd pleraque peccata, quæ videntur leuia, Dei lumine cognoscuntur esse grauia, [vt Greg. l.32.Mor. c.1. & Past. p.3. admon.34.] Hinc Plutarch. lib. de profectu virt. vltimum perfectionis signum dicit esse, nullam culpam leuem reputare. Deinde ratio ipsa suadet esse cauenda. Primum, quia Deus omnia peccata prohibet; vt Bernar. l. de præcepto, & dispens. Adde, quòd saltem sunt præter diuinam legẽ. Secundò, quoniam maculant animam. [Aug. hom.42. & vlt. in l.50. hom.] ideoq. lotione pedum elui designantur, Ioann.13. & Cant.5. [Isid. l.2. de summo bono c.18. & Bern. l.2. de Consid.] Item, quia obscurant lumen conscientiæ, & minuunt ardorem charitatis; [vt Chrys.

Id sex rationibus suadetur.

Chryſ. ſerm.8. in 1. ad Cor.] Tertiò, quod puniantur à Deo. [Aug. hom.16. in l.50. hom.] Quartò, propterea quod diſponunt ad peccatum mortale. [Aug. in Pſalm.108. & l. de decem chordis. c.11. Chryſ. hom.57. in Mat. Doroth. ſer.3.] Quintò, quia retardant proficientem, quaſi compedes, quaſi vincula, & ſpinæ. Impediunt item guſtum rerum diuinarum, vt ſucci amari ſuper cibos aſperſi. Sextò, quoniam Sancti ea lugent, [vt Greg. in Pſalm.2. pœnitentialem. Aug. ſer.3. in Pſal.118.] & de Euſebio monacho refert Theod. in hiſtor. ſanctorum: quapropter oramus in oratione dominica; *Dimitte nobis debita noſtra*; vt notat Caſſ. coll. 22. c. 13. & Aug. *Quia*, inquit, *quotidie labimur, quotidie Chriſtus immolatur*; & nos ſupra. [Lege Chryſ. ſerm. *De leuium peccatorum periculis*. tom.5.]

Et ſi omnia peccata impediunt perfectionem; quædam tamen inſigniter retardant ſpiritualem progreſſum; quæ vt maiori ſtudio vitari poſſint, hic referam. Primum, quodcumque veniale voluntarium, & præſertim conſuetudine firmatum, [iuxta Aug. l.3. Confeſſ. c.9. & l.22. contra Fauſtum c.70. Caſſia. collat.5. c.12.] Secundum eſt Mendacium: hoc enim à viris ſpiritualibus alienum eſſe debet; vt Aug. in Pſal.4. & in l. contra mendacium, dicit eſſe confitenda: & patet ex Pſalm. 14 *Qui loquitur veritatem*, &c. & Prou.17. & Sap.1. *Os enim quod mentitur, occidit animam*: quia ſcilicet mendacijs aſſuetus, facile ex leuibus labitur ad perniciosa: & denique quòd omne

Quædam venialia inſigniter retardãt perfectionẽ. Quodlibet volũtarium Mendacium.

mendacium diuina lex prohibeat. Tertium est Maledictum, & contumelia etiam leuis, [Prou. 26. Orig. hom.14. in Leu.] Quartum, Ingratitudo post conuersionem: cùm scilicet Deo gratias non agit, & tepidè viuit, quasi oblitus peccatorum suorum, & accepti beneficij, ac de salute securus. [Ber. ser. contra ingratit.] Quintum est Arrogantia, qua statim quis assequi vellet summam perfectionem. [Ber. ser.4. in Cant.] Sextum est Detractio, de qua supra l.1. tr.3. c.6. Postremò illud admoneo, nemini condonari peccata venialia, nisi eorum pœniteat. Quibus autem modis remittantur, lege apud Suar. [to.4. disp.12. sect.1.& 2. Henr. l.1. de Sacram. c.20.]

Maledictum.

Ingratitudo.

Arrogantia.

Detractio.

De Pœnitentia, & Misericordia operibus. Cap. XIV.

Pœnitentiæ quæ suscipiendæ.

POenitentias sine intermissione implendas suscipiat, consilio confessarij; qualis est corporis flagellatio; ieiunium, seu abstinentia in singulas hebdomadas, vel quoties in peccatum aliquod inciderit, quod extirpare de anima contendit; visitare hospitale, infirmis inseruire; eleemosynam dare iuxta facultatem, & similia opera misericordiæ pro qualitate personæ: *Talibus enim hostijs promeretur Deus*, & eas offerentibus promittitur regnum cœlorum, Matth.25. Item quia culpas, quas in nobis punimus, Deus non punit; hinc Apostolus 1. Cor.11. *Si nos ipsos*, inquit, *dijudicaremus, non vtique iudicaremur*. [& Greg. l.25. Mor. c.6.

Hebr. 13.

Earum fructus.

c.6. & nos infra tr.2. c.9.] Deinde non esse intermittendas has pœnitentias docet Greg. l.9. Regist. c.39. His præterea conseruari Dei gratiam docet Chrys. hom.34. ad Hebr. Atque propterea ad huiusmodi opera nos ipsos compellere oportere, docet Ephr. tom.3. serm. *De compunctione cordis*. Macar. hom.19.& 30. Doroth. ser.10. & 21. Basil. in epist. ad Canonicam.] Porrò hæc bene, & cum debitis circumstantijs sunt præstanda: & præsertim recta intentione; [vt Greg. hom. vlt. in Ezec.] Præterea discretè prosequenda; [vt Greg. l.20. mor. c. vlt. & nos infra tr.2. c.10.]

Opera misericordiæ suscipienda. Et Mortificationis.

Commendantur autem in primis opera misericordiæ spiritualia, & maximè correptio fraterna; de quibus tr.2. c.7. & 8.

Huc etiam spectant opera mortificationis, quæ ad perfectionem plurimum conferunt: quæ Sancti intellexeruut seuerè obseruanda ijs, qui ad profectum spiritualem incumbunt. Quapropter in omnibus rebus, etiam licitis, statuat Christianus sibi oculos, linguam, membra denique omnia corporis, omnesq. animæ potentias esse continendas: sic enim Deo erit magis gratus, & ad eius munera aptior: sicq. facile, & breui assequetur, vt vitijs omnibus extirpatis, perfectionis Christianæ fastigium attingat. Plura autem de mortificatioue passionum dicam c.21. [Lege Orig. hom.8. & 13. in Gen. & hom.7. in Leu. Greg.21. Mor. c.2. Cass. l.4. Inst. c.8. & coll.24. Dorot. ser.22.& 23. Ephr. to.1. & 2. Bonau. in opusc. tit. *Viginti passus de virtut. bonor.* & in *Pharetra* l.4.c.8.]

De

De consilio Confessarij adhibendo.
Cap. X V.

Omnia cum consilio.

OMnia, quæ concernunt bonum spirituale ipsius, conferat cum suo Confessario. [Cassia. collat.2. c.10. & seq. Doroth. ser.6. & alij; quos infra adducam tr.2. c.10. § 6.] Sit item cautus in emittendis votis, Castitatis præsertim, & Religionis; *Displicet enim Deo, stulta, & infidelis promissio*; Eccles.5. quapropter votum dicitur *Laqueus*, Prou.20. [vt notat Orig. hom.11. in Leu.] Plura, quæ ad prudentiam pertinent, dicam tr.2. c.10. Illis præterea qui videbuntur esse idonei, proponi, vel concedi poterunt Exercitia spiritualia; & præsertim cùm de vitæ genere sunt deliberaturi, iuxta morem nostræ Societatis.

Cautio in vouendo.

Exercitia spiritualia.

De Spirituali cura infirmorum gerenda.
Cap. X V I.

Inducendus infirmus ad Viaticũ maturè sumendum.

CVm infirmorum audit confessiones, curet diligenter Confessarius, vt tempore muniantur præsidio Sacramentorum Eucharistiæ & Extremæ vnctionis: Moneatq. Eucharistiam esse pignus resurrectionis, atque æternæ hæreditatis, vt docuit Dominus Ioan.6. cùm dixit, *Qui manducat meam carnem, &c. habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*; diuinum præterea viaticum, nos confortans, & roborans, ne in via deficiamus: quapropter Chrys. hom.24. in 1. ad Cor. sic ait:

Si hinc hoc sacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, tamquam aureis quibusdam vestibus vndique contecti. & l. 6. de Sacerdotio idem refert cuiusdam Sancti visionem: qua vidit *Animas fidelium, qui sumpto hoc salutari viatico decesserunt, hinc recta in cælum abduci*.

Curet denique vt intelligant, mortem Christianis in Domino morientibus esse somnum, propter spem resurrectionis, & quia Christus mortem nostram moriendo destruxit; [vt exponit Chrysostom. homil. 32. in Matth.] ideoq. mortem esse optandam Christiano; vt Cypr. lib. de Mortal. qui ait, *Volumus ab eo præmijs honorari, ad quem venimus inuiti: quid ergo rogamus, & petimus, vt adueniat regnum cælorum, si captiuitas terrena delectat?* hæc ille. [idem Chrys. hom. 29. in Gen. & hom. 32. in Matt. & hom. 5. ad populũ.] — Et ne mortem horreat.

Propinquos verò consoletur de morte suorum, [ex his quæ idem Chrysost. hom. 69. & 70. ad populum. & Hieronym. ep. 3. ad Heliodor. ep. 25. ad Paulam, & ep. 26. ad Pammachium.] — Cõsolãdi ꝓpinqui defunctorum.

Vnctionem verò sacram doceat, præter remissionem reliquiarum peccati, hilaritatem mentis conferre; ac vires contra extremos mortis dolores; & cum expedit, etiam corporis sanitatem. — Extremæ Vnctionis effectus.

Quando verò in eadem infirmitate hæc iterari possint, Doctores consulat, & rectè teneat; ne fideles tanto adiumento fraudati decedant. Adhibeat prętereà methodum P. Polanci; vt rectè adiuuari, & commendari Deo possint ani- — Cõmẽdatio aĩæ agonizãtis.

ma

mæ agonizantium; adiunctis adhortationibus, & orationibus, iuxta Rituale Romanum, candela denique, & aqua benedicta; vt nos suprà cap.6.

De extirpandis ab anima vitijs, seu prauis habitibus peccatorum. *Cap. XVII.*

Vitiosi habitus extirpandi.

1 DEleta peccatorum culpa, non minor cura collocanda est in profligãdis prauis habitibus, qui remanent tamquam peccati soboles, & infestissimi animæ hostes; figurati in populis illis, qui populum Israel olim vexabant. Deut 7. [vt Cassian.collat.15.cap.16.] à quibus multo peius est, quam à dæmone possideri. non tamen sentiunt impij tyrannidem, quoniam sunt veluti eorum mancipia: [vt idem Cassian.collat.7.cap.25.] & propterea sunt omni diligentia exterminandi; & tamquam spinæ, quæ fructum bonorum operum impediunt, extirpandi: [vt Greg.lib.31.Mor.c.17.Cassian. collat.14. c.3.] de his enim intelligitur illud Hierem.4. *Nolite serere super spinas.*

Diuina gratia, alijsq. remedijs.

2. Deponitur autem vitiorum habitus, in primis diuina gratia. Deinde virtutum contrariarum actibus; [Cassian.collat. 19.cap.14.] & item remouendo occasiones peccatorum: [vt idem collat.20. cap.10. & Ephr. tom.1. & 2.] sed maximè extirpando radices vitiorum, de quibus cap. sequenti: sublata etenim peccati causa, ruit etiam peccatum: quod si assequeris, Deo acceptum referas; id enim sine eius ope non fit; [vt Concil. Trid. sess.6. can.1. & 3.

de

de iustif. Cassian. collat.5.c.15.] Quapropter non est quod te extollas, nec glorieris, *quasi non acceperis*; gaudeas tamen maximè in Domino, quoniam vetere homine deposito Christum induisti; & cum esses animo efferato, intellectum consecutus es, quo viuis, & gloriaris in spe gloriæ filiorum Dei. ad Rom.5.[Lege Chrysost.hom.9.in epist.ad Rom.] 1.Cor.4.

3. Nunc ordo postulat, vt agamus de singulis vitijs extirpandis; nimirum, de Superbia, de Auaritia, de Luxuria, & de reliquis: sed tamen de his copiosè diximus lib.1.tract.3. Quẽ locum propterea aptiorem huic tractationi existimauimus, quod ad incipientes potius pertineat, & statim post confessionem vsu veniat. De singulis vitijs vide sup.

De modo resistendi perturbationibus animi, seu de Mortificatione passionum generatim. Cap. XVIII.

EVulsis prauis habitibus, toto animo, ac studio omni, ad eorum radices extirpandas, hoc est in mortificationem passionum incumbendum est; de qua deinceps dicendum. Verũ ne actum agere videar, rem paulò altius repetam. Statuo igitur in peccatore quatuor posse considerari. Primum scilicet actum peccandi; Secundum habitum peccati: Tertium eius radicem, quæ sunt hominis passio, ratio, ac voluntas deprauata: Quartum denique fomitem, quæ est procliuitas naturæ corruptæ ad malũ. Culpa igitur deleta, & reatu pœnæ æternæ, remanet vt plurimum habitus peccati, ex vsu, vel

Mortificationi insistendum.

In peccatore post actum remanet Habitus, Passio, Fomes.

nimio

nimio affectu peccandi contractus, vel praux dispositiones: & his item sublatis, manet eorum radix passio: hac verò extirpata, remanet concupiscentia, seu fomes ad agonem: qui minuitur quidem per gratiam sacramentalem, non tamen totus extinguitur, nisi ex peculiari Dei dono, vt in B. Virgine Deipara. [Lege Conc. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali. Orig. homil. 8 in Leuit. D.Thom. p. 3. q. 86. art. 5.] Ex quibus tota huius tractationis ratio, ac dispositio perspicua est; in qua fidelem pœnitentem iam à culpa liberum ad perfectionem Christianam hac planè ratione instituimus. Atqui his ita constitutis ad propositum veniamus.

Mortificatio qd

1. Mortificatio est *Moralis vitæ priuatio*: vt enim dicitur homo viuere ijs, quibus delectatur; sic illis sublatis dicitur mortuus, seu mortificatus: Hinc ad Rom. 6. dicitur *mortuus peccato*. Similiter cum homo priuat se rebus, quæ per se nec bonæ, nec malæ sunt, dicitur illis mortuus: & cum abnegat propriam voluntatem, vel iudicium, dicitur mortificatus; quod nempe ab alio se moueri patiatur, sicut mortuus; & nec iniurijs, nec laudibus commoueatur. Atque hæc est Iesu Christi mortificatio, quam circumferre in corpore nostro iubemur ab Apostolo, 2. Cor. 4. *Vt vita eius manifestetur in nobis*. Et hac notione hic sumimus, vt scilicet comprehendit omnium rerum temporalium abnegationem. Varijs autem nominibus appellatur in Scripturis; dicitur enim odium sui, abnegatio, crux, vis, circuncisio;

Varijs nominibus appellatur.

eiſio; & interdum appellatione ieiunij indicatur, vt Ioel.2. vel afflictionis carnis. 1. Eſdræ octauo, [vt Auguſt. lib.de perfectione iuſtitiæ reſp.17. lege etiam Baſil.in Reg.fuſius diſput. interrog.6. *Ioan.12. Luc.9. Mat.10. Rom.2.*

2. Eius neceſſitas ex infectione naturæ ortum habet; [vt D. Thom.1.par.q.94.] amiſſa enim iuſtitia originali, hominis ſenſus rationi repugnat; idcircò illi eſt reſiſtendum, vt ſic reparetur natura infirma: nam ratio dictat ſequenda eſſe meliora, nempe ſpiritualia, relictis caducis; item vt ſeruus obediat Domino, creatura creatori, & inſtrumentum regatur ab artifice, & quia contraria contrarijs curantur; vt Greg.hom.32. in Matt. & denique vt homo ſic diſponatur ad gratiam, quæ animam perfectè ſanat; [vt D.Thom.prima ſecundæ q.109. art.2. & alibi.] Quapropter mortificatio eſt propria ſanctorum virtus; qui vt longè ſint ab illicitis, ſe abſtinent à licitis; [vt Gregor. 4. Dial.cap.11. Auguſt.lib.de fide ad Petrum c.3. & 42.] illiſq. in primis neceſſaria eſt, qui ad orationis donum, & ad Chriſtianam perfectionem aſpirant; [vt Richard.de S.Victore lib.1. de contempl.c.25.] Quanto autem ſtudio eam Sancti omnes ſectati ſint, luce clarius cõſtat: vt tamen aliquot exempla inſignia in promptu habeas; [Lege Leonem ſerm.1. & 2. de ieiun. decimi menſis. Auguſt. lib.1.de morib. Eccleſiæ. Euſeb.Hiſt.lib.2.cap.7. Hieronym. ad Euſtoch. de cuſtodia virg. Caſſian.collat.12.cap. 7. 12. & 13. Greg.2.Dial.c.2. Gregor.Nazian. orat.30.in laudem S.Baſilij. Bonau.c.5.in vita

Eius neceſſitas vnde oriatur.

Eſt propria virtus Sanctorum.

Auctores q. de ea.

S.Fran-

S.Francisci. Seuerũ Sulp.de S.Martino.Ariam. par.1.c.8.& 9.de Mortif.]

Maxime Deo grata.

3. Ex his sequitur mortificationem maximè placere Deo: quod exemplo Christi Domini, & Sanctorum omnium facile probatur; qui contrà inclinationem naturalem, Dei amore passi sunt: quapropter hostia dicitur, ad Rom. 12. quia videlicet est species martyrij; vt notat Bern.in Cant. & lib.sent. Ideo ij, qui Deũ placare volunt, ad eam confugiunt; vt Achab. 3.Reg.21. Niniuitæ, alijq. plurimi: propterea etiam laudatur Ioannes Baptista. Matth. 11. [vt obseruat Chrysost. hom.10. in Matth.] & eam Christus mandauit Apostolis, illiq. vnanimes perpetuò obseruarunt: nam *in fame, & siti, in frigore, & nuditate* vitam traduxerunt. (2.Cor.11) Hinc Apostolus ad Rom.7. *Propter te*, inquit, *mortificamur tota die*; & ad Philipp.3. *Omnia detrimentum feci, &c.* nimirum quia sic Deum lætificabant; [vt asserit Greg.8.Mor.cap.15.] Sic item se conformabant suo Regi, ac Magistro; quem imitari honorificum est, vt patet 2. Reg.c.15. [Lege Orig.hom.8. & 13. in Gen.& 7. in Leuit. Greg.21. Mor. c.2. Cassian. lib.4. Instit.c.8. & collat.24.]

Etiã in rebus minimis.

Adiungo insuper in minimis rebus seipsum abnegare, Deo esse gratissimum. propterea ijs, qui conuertuntur à peccatis, statim Deus inspirat mortificationem, vt experientia docet, & patet exemplis. [Lege Aug.q.36. lib. 83. qq. Gregor.lib.2.Dial.c.13. Clim. gr.4. & Petrum Damianum.]

Eius vtilitates.

4. Maximas præterea affert vtilitates, quibus

bus nos in sui amorem excitat. Primum enim pœnas minuit peccatorum, dum pro illis satisfacit; [vt Tertul.lib.de ieiun. aduers. Psychicos. Amb. ep.ad corruptam. Greg.hom.34. in Euang. Aug.lib.de vera relig.cap.15.Chrysost. hom.3.in Matt. & 10.in imperf. Hieron.ep.27. ad Eustoch.] Secundò liberat à multis malis, quæ propter peccata meritò euenirent: nam *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur*. 1. Cor. 11. [& Chrysost. & Anselm. ibid. Greg.lib.9.Mor.cap.24. August. lib.de vtilit. ieiun. Bern.serm.4. de Quadrages. Leo serm.2. *de Pent.* & liquet ex lib.2. Machab.] Tertiò, magnam vim habet ad impetrandum in oratione: tum quia magis efficaciter oramus sic afflicti; tum quia Deus, tamquam pia mater ad lachrymas infantis, magis ad misericordiam commouetur. Sunt autem huius rei exempla, Iudith.c.9. Hester.c.4. Iosaphat 2. Paral.c.20.Daniel c.9.& 10. Barnabæ. Act.13. & 14. Hanc igitur viam Sancti inierunt, vt postulata impetrarent, secundum Cypr. de ieiun. Christi. Quartò non mediocre adiumentum præbet ad orationem mentalem ritè habendã: tum quia mundat, & illustrat corda; [vt Eus. Emiss. hom. 10. ad Monach.] tum quia aufert tepiditatem; [Greg.5. Mor. c.25.] tum quod pacem internam parit, & Deum inuenit in spiritu auræ tenuis.3.Reg.19. [Greg.lib.30.Mor. cap 9.] tum quoniam passiones sedat, quæ animam perturbant; [vt Doroth. serm.2.] tum propter consolationum spiritualium copiam; [vt Bern.serm.3. de Ascens. Dom.] tum deni-

1.Pœnas peccatorum minuit.

2. Liberat à malis.

3. Est impetratoria.

4. Orationem mentalẽ adiuuat.

que propterea quod animam beat, dum obtinet quod optat, nempe pro Deo pati, eiq. placere: [vt Ricard. Victor. *in Ben-jam. min.* c. 26.] Hic enim digne Deum laudat. Esai. 42. & Ps. 101. Hic est homo nouus, 2 Cor. 5. Noua creatura, ad Gal. 6. Homo cælestis. 1. Cor. 15. & qui signis gaudet prædestinationis. Rom. 8. [Lege Greg. hom. 3. in Ezech. & 5. Mor. cap. 5. Bern. serm. 3. de Assumpt. B. Virg. Athan. lib. de Incarn. Verbi. Cassian. collat. 1. & 14. Bernar. serm. 46. in Cant.] Quintò obtinet victoriam in tentationibus, dum aufert hostibus arma, vt Philistæi Sansoni. Iudic. 16. [vt Basil. orat. 8. de temper. Bern. serm. 20. in Cant. Aug. serm. 23. ad fr. in erem. Isid. lib. 2. de Summ. bon. c. 44.] Ex quo sequitur hominem disponere ad donum perseuerantiæ, dum iuuat ad conseruandam gratiam. [Lege Conc. Trid. sess. 6. c. 13. de iustific.] Sexto, denique exhibet proximo bonum virtutis exemplum; quod magis hominum animos mouet, quã miracula; [vt Chrys. hom. 71. in Io. & hom. 6. in 1 Cor. Lege etiam Greg. Past. p. 2. c. 3. & Prolog. lib. 1. Dial. Bern. serm. de S. Bened. & serm. 30. in Cant. & Bonau. in q. 9. reg. cap. 19.] Neque id mirum; nam mortificatus est vt racemus vuæ maturæ; immortificatus, vt racemus vuæ acerbæ; [vt Blos. Instit. vitæ spirit. cap. 2.] Item quia mortificatus spirat odorem suauissimum; & culmen obtinet perfectionis; [vt Beda in Cant.]

5. Tẽtationes vĩcit.

6. Proximo bonũ exemplũ præbet.

5. Ex his facilè soluuntur aduersariorum falsæ obiectiones. Primum enim aliqui obijciunt,

ciunt, satis esse seruare præcepta, & de reliquo corporis sanitati incumbendum; contra quos Bernar. serm.3. de Natiuit. & Cypr. serm. de lapsis; difficile enim qui non est mortificatus seruabit præcepta. Adde, quod *Vbi quis incipit nolle fieri melior, ibi desinit esse bonus.* Contra nimiam verò curam sanitatis corporis tuendæ lege Bern. [serm. 30. in Cant. & serm. *de triplici gen. bon.* Ambr. in Psal. 118. & habetur in cap. *Contraria.* de consecr. d.5. Item Ioan.12. *Qui amat animam suam perdet eam*; item ad Rom. 8. *Prudentia carnis inimica est Deo.* Obstant denique illi exempla sanctorum, vt antè dixi. Obijciunt deinde exempla sanctorum perperam intellecta: de quibus lege Chrys. [hom.66. in Matt. & hom. 23. in Acta. Gregor.7. Mor. c.15.

Nõ relinquenda valetudinis prætextu.

6. Confert autem plurimum ad hanc virtutem comparandam: Primum oratio; quia *Omne datum optimum*, &c. *desursum est*, &c. Deinde si à paruis incipiamus; [vt Chrys. in hom. *Quòd à minimis incipienda est virtus.* Ricar. in Cant. p.2. c.22. Cass. l.8. c.18. Arias p.3. c.9.] Tertiò meditatio vitæ, ac Passionis Christi, & Sanctorum. Quartò, quòd mundani magis pro temporalibus bonis laborant, quam nos pro æternis. Ia c.5. *Agricola expectat pretiosum fructum*, &c. Quintò, odium sui, 2. Cor.6. *Quasi morientes, & ecce viuimus*; & ibid. Ansel. Sextò, misericordia cum proximo, Eccles.7. & 29. Luc.6. [Chrys. orat.4. & 5. *contra Iulian.*] Septimò, denique amor Dei. [August. l.13. Confess. c.7.]

Quæ ad eam acquirendam conferant. *Iacob.* 1.

Quibus in rebus locum habeat mortificatio, & primum de Amore proprio abnegando.
Cap. XIX.

Amor proprius mortificandus.

1 ABnegare autem oportet proprium amorem, voluntatem, passiones, prauasque inclinationes,& sensus externos, etiam in actu indifferenti, vt magis à peccatis distemus. Primum igitur se offert amor proprius: qui cum est in rebus spiritualibus relatus in Deum, nunquam est nimius: quod si quis principaliter sit solitus referre in propriam vtilitatem, corrigat referendo in Deum; tum propter eius beneficia, tum ratione meriti. Deinde amor, qui fertur in partem sensitiuam, vel rationalem procliuem in honorem, & diuitias, mortificandus est;quoniam cæcat animam; vt Gre. hom.4. in Ezech. De hoc enim loquitur Apost. 2.Tim.3.cùm ait, *Erunt homines seipsos amantes*, &c. atque hinc oritur affectus propriæ existimationis, & cupiditas vani honoris; [vt Aug. 10. Confess. c.36. & 39.] omissio item bonorum operum; vel vt,quæ homo facit, non referat in bonum finem, sed in laudis humanæ cupiditate euanescat.

Amor honoris, ac diuitiarum.

Amor honorisquo modo cõprimatur.

2 Quamobrem, vt hic amor comprimatur, hæc obseruabit. Primum, ne optet, nec accipiat honorem, qui non prodest animæ ad sanctitatem, &c. Secundò vincat affectum honoris vani contrarijs exercitationibus, manifestando suos defectus cùm potest sine scandalo; cùmq. de illis arguitur, ne se excuset, nisi

scan-

ſcandalum immineat: qui enim aliquem abnegauit, non laborat cùm ille male tractatur. [Chryſ. hom. 56. in Matth.] Tertiò opera bona, quæ ſecretò fieri poſſunt, vel debent, ne faciat publicè; niſi expediat ad ædificationem. Quartò, omnia opera dirigat in Deum, ſaltem virtualiter, vt ſint meritoria. [D. Thom. 1.2. q.18.art.9.] Quintò, in neceſſitatibus corporalibus caueat ſuperflua; immo ſubtrahat aliquid de neceſſarijs, quo domet amorem proprium, qui fuit cauſa offendendi Deum, & eſt eius amori contrarius. Aug.q.36. l.83.quæſt.

De Mortificatione propriæ voluntatis, & iudicij. Cap. X X.

1 PRopria voluntas, vt hic ſumitur, differt ab amore proprio, vt ſpecies à genere, ſeu pars à toto: eſt autem mortificanda, quia non quærit Deum, ſed ſeipſam. Hinc Iſa. 58. *In die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* [Bern. ſerm.3. de Reſurr. Dom.] Idemq. dicendum de orationibus, alijſq. operibus; vt Bern. ſerm.71. in Cant. Eſſe autem malam, patet; quia facit, vt opera bona ſint mala. [Aug. c.17. l. de lib. arbitr.] Item facit, vt ardeat infernus. [Bern. ſer.3. de Reſur.Dom.] ſed omittamus clara peccata.

Volũtas propria mortificanda.

Eſt mala.

2 Abneganda eſt in rebus curioſis, & vanis. Greg. in 1. Reg.c.15. Vitanda eſt curioſitas in ſcientijs, & hiſtorijs; vt l.1. tr.3. c.12. dixi. Item de vita aliorum ſolum quæras, quæ poſſunt ædificare. Gregor. hom.36. in Euang.

Quibus in rebus abneganda.

De rebus autem occultis, nihil quæras. cap. *Nec mirum*. 25. q. 5. [Lege Doroth. serm. 2. & 6. Ephr. to. 2. paræn 35. Basil. serm. *De abdicatione rerum*.] Contentiones item deuita; vt Eccles. 28. easq. etiam, cùm vrget disputationis necessitas, humilitate vincas. [Gregor. hom. 38. in Euang. S. Vincent. in Vita spirit. c. 3.] Præterea in obedientia sic tuam voluntatem abnega, vt etiam inferiori obedias in rebus licitis, cùm sese offeret occasio. In amicitia item ineunda, & consuetudine hominum sis cautus; quia est causa multorum malorum; [vt Basil. cap. 30. Const. monast. & nos infra tr. 2 c. 18.] Ad hæc stude consolationes mundi fugere, aliorum mores patienter ferre, & in appetitu irruente explendo ne sis præceps, sed siste, ac fræna; vt primum videas mente serena quid expediat.

Magni refert eã abnegare.

3 Tanti autem refert ad spiritualem progressum mortificatio hæc propriæ voluntatis, vt in ea fere sint omnia; nam sine voluntate peccatum non fit: vt propterea affirmauerit Cassian. Instit. l. 4. c. 8. nullum vitium posse ab eo superari, qui primum non assuescit frangere suam voluntatem. Quare maneat, esse valde periculosum, suo sensu, & voluntate duci; [vt Ephr. tom. 2. paræn. 35. & nos tr. 2. c. 10. §. 6.] & propterea esset optimum consilium, vt qui superiorem non habet, sibimet imperet; vt monet S. Vincent. in lib. de vita spirit. c. 3. & Dominus Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, &c. Id enim est difficilius, quam ieiunare; vt Greg. 32. Mor.

Mor. cap.17. & qui in hoc est constans, breui magnam perfectionem consequetur; vt de quodam refert Doroth. ser.1. nam acquiritur vnio cum voluntate diuina; vt Aug.q.36. l.83. qq. Fit item rectus corde; iuxta Aug.in Ps.35. Fructus denique est vitæ, Apoc.2.

4 Frænanda est etiam diligenter cupiditas de magistratibus, & prælaturis ambiendis: Homo enim, vt est præstantis naturæ, semper magna quærit; & nisi aspiret ad diuina, procurat terrena bona; laudes nempè, honores, dignitates, diuitias; [vt Aug. Conc.12. in Psal. 118. & l.5. de Ciu. Dei. c.12. Bonau. l. de remed. vitiorum, cap 5.] Propterea doctor veritatis Christus Dominus detexit superbiæ tyrannidem, & pericula. Atque crucem, ignominiamq. tutiorem viam esse docuit ad beatitudinem; vt etiam exponit Apost. 1 Timoth.3. & 1.Cor.1. Quare ne hoc laqueo capiaris, hanc cupiditatem comprime; & propter maxima pericula peccandi, magistratus, & dignitates, seu prælaturas fuge: nec oblata accipias; nisi coactus obedientia, vel Dei obsequio. [Aug.q.36. l.83. qq. & l.5. de Ciu. c.14. Bas. in Reg.breu.inter.56. & 259. & Const.Monast. c.25. Macar. hom.19. & 30. Ammon. cap.2. & nos tr.2. c.21.] Deinde elige quæ apud homines minus speciosa habentur, & minoris æstimantur. Ama item nesciri, & contemni; vt monet Bern. epist.25. & S. Vincentius; *Desiderium*, inquit, *omne ascendendi ad præclara occide, vt caput draconis; ne intereas*. Nec mirum: nam homo si recta ratione ducatur, de-

l.1. tr.3. c.8.
Comprimẽda in Magistratibus, & Prælaturis ambiendis.

Consectanda q̃ minus speciosa sunt.

bet eligere quod sibi melius, & tutius est; hæc autem sunt maxime periculosa; vt propterea Christus Apostolis fugienda docuerit, Luc.22. *Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor*, &c. [& Greg. Past. p.1. c.3. & 6.] Huc accedit experientia propriæ infirmitatis, & imbecillitatis, [vt Greg. l.4. in 1. Reg. & l.5. Mor. c.1. & 2. Aug. l.10.Confess. c.38. Bern. serm.23. in Cant.] Exempla denique Sanctorum idem ostendunt: nam experientia constat, hæc illos fugisse; idq. asserit D.Greg. l.4. c.10. in lib. Reg. & ipsemet ea fugit, & Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Martinus, Nicolaus, Fulgentius, Malachias, Antoninus, Bernardus, Thomas Aquinas, aliiq. multi. [Lege Cassian. l.4. Instit. c.30. de Pynuphio. Item hortationem Abbatis Ammonis c.2. quæ habetur in tom.2. Ephr. in fine.] Neque verò audax ambitio prædicatoribus verbi Dei parcit. [Greg. l.9.Mor. c.13.] Propterea caueant, ne tantum officium sibi sumant, nisi mittantur; neve primas cathedras quærãt, aut auditorum frequentiam; ne dum sibi ipsis placent, Deo displiceant: sed Apostolum imitentur, qui 1. Cor.9. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. D. item Franciscum, Antonium de Padua, Malachiam, Antoninum, Bonauenturam, Ioannem Damascenum; qui concursum vitabant, & viliora quædam munera obibant, ne extollerentur. Propterea optimum consilium est, vt antequam ad opus aliquod egregium prodeas, ad orationem,

Probant hoc Sanctorum exẽpla.

Concionatoribus idem commendatur.

Supr. l.1. tr. 2. c.4.

nem,& mortificationis actus deuotè confugias; ne dum alijs prodesse conaris, tibi noceas. [Lege Clim. grad. 21. Basil. Const. monast. c.24. Chrys. hom.67. in Matth. Doroth. ser.1. & 2. Macar. hom.19. & 30.]

Abnegãdus maxime sẽsus proprius.

5 Magnum est hominem mortificasse propriam voluntatem; sed nihil minus est abnegare intellectum, seu iudicium proprium; quia est radix peccatorum; [Bern. serm.1. de resur. Dom.] Hæc autem abnegatio non habet locum in ijs, quæ certa fide, vel naturali ratione, aut communi hominum sensu, seu opinione cognoscuntur; sed in ijs, quæ homo credit, quia ita ei videtur. In quibus proprio iudicio niti, est valde periculosum; vt docet Sapiens, Prou.3. [& Basil. in reg. breu. interr. 123. & Bern. ser.2. de resurr.] tum propter hominum ignorantiam; [vt Greg. l.5. in 1. Reg.c.14. & l.11.Mor. cap.21.] tum propter passiones; vt Doroth. serm.19. Abnegare autem intellectum est actus humilitatis Deo gratus, & propterea talem ipse illuminat,ne decipiatur,vt Doroth. serm.5. vbi refert Macarium multos liberasse, qui in suo iudicio confidentes errabant.

Proprio sensu duci periculosũ est.

Caueat deinde qui virtuti incumbit, ne temerè quemquam iudicet; vt Dominus Matth.7. & Apost. ad Rom.14. & 1.Cor.4. [Greg. hom.4. in Ezech. Chrys. hom.11.in 1. ad Cor. Cassia. l.5. c.30. Doroth. ser.6. 16. & 17. Ephr. to.2. paræn.28.29. & 30. Basil.in serm. *De abdicat. rerum*. D. Vincent. & alij.] Remedium denique ne quis erret in deliberationibus, est consulere sapientes, Prou.11. & præsertim pa-

Iudiciũ temerarium cauendum.

Remedia contra propriũ iudiciũ.

trem

trem spiritualem; iuxta consilium sanctorum Patrum Macarij, Malachiæ, Dorothei, Arsenij, & aliorum. [Lege Cassian. collat.2.c.11. & 13. & quæ nos infra tr.2. c.10.] Ad extremum vt iudicium proprium abnegare quisque assuescat, optet ne suam sententiam alij sequantur: atque cùm ab aliquo arguitur, sileat patienter, & ratum habeat; vt Pachomius, Franciscus, & alij obseruarunt. [Lege Ephr. to.2. ser. *de armat. Spirit.* Doroth.ser.21.]

De Mortificatione passionum sensitiuæ partis. Cap. XXI.

Passiones sẽsus omnes sedandæ. *Eccles.* 8. *Rom.* 1. *&* 7.

1 PAssiones omnes sensitiuæ partis animæ ad iram, & concupiscentiam reducuntur; [vt Aug. l.9. de Ciu. c.4. D. Thom. 1.2. q.22. art.1.] Sunt autem vndecim, & omnes rationi subijciendæ, quia sunt fontes peccatorum: qui enim non peccant ex malitia, solent ex passione peccare: & quamuis aliquando videantur mortuæ, sunt tamen viuæ in radice; & repente prodeunt, vt spinæ, & cardui conculcati. [Greg.24. Mor. c.7. seu.12. vsque ad finem libri.]

Primum Amor.

Primum autem mortificandus est amor, non solum rerum, quæ diuina lege prohibentur, sed etiam superfluarum: immo verò frænandus est etiam amor immoderatus rerum necessariarum; [vt Aug. l. de vera relig. c.48. Greg. l.31.Mor. cap.6.] Atque adeò, vt rebus, quæ ad conseruandam vitam opus sunt, non vtamur propter delectationem sed propter necessitatem; quia scilicet Deus

ita

ita ſtatuit, aliàs non vſuri : immo potius paráti omni humana conſolatione priuari, etiam conſanguineis, alijsq. rebus charis, ſi Deo ſic placeret; cuius bonitati, ac beneficentiæ nullum obſequium exhiberi non debitum poteſt.

2 Deinde frænare oportet Gaudium ex tẽporalium bonorum præſentia ortum; ita vt non niſi moderate gaudeamus, & propter Deum, cùm omnia breui deſerenda ſint. Triſtitia itẽ, quam caducarum rerum iactura,& irruentia mala afferunt, ſic moderanda eſt, vt de ſolo peccato immodicè doleamus, [vt Chryſ.hom. 5. ad pop.] idq. ſolum timeamus, quod nos ſummo bono priuare poteſt. Matth.10. — Tum Gaudiũ. Et Triſtitia.

3 Iræ denique omni conatu reſiſtendum, quoniam *iuſtitiam Dei non operatur*. Iacob.2. At verò cum ex officio cogitur aliquis in facinoroſos animaduertere, id moderatè, atque amore inſtitiæ faciat : nam *vera iuſtitia compaſsionem habet, falſa dedignationem*; [vt Gregor.hom.34. in Euang.] Verum de his lib.1. tract. 3.cap.14. — Et Ira.

De mortificatione ſenſum exteriorum. Cap. XXII.

1 SEnſus præterea externos continere iubemur, quia per eos voluntas deprauata executioni mandat ſuas propenſiones; immo per illos ingreditur mors in animam, tamquã per feneſtras. Hier.9. [Greg.21.Mor.cap.2.& 6.] Propterea omni cuſtodia nobis iniungitur, vt cuſtodiamus cor; & aures ſepiamus ſpi- — Sẽſus externi frænandi. *Lib.1.tr. 3.c.12.*

spinis; & Greg. lib. 19. Moral. cap. 17. dicit sensus omnes esse custodiendos, vt castrum. Huc accedit, quod cum hi sensus à Deo nobis dati sint ad rectè agendum, nefas est contrà conditoris voluntatem illis abuti. Sed ad singulos veniamus, vt faciliùs omnes mortificemus, & ita morti fenestras claudamus.

Primum Oculi.

Primus autem omnium sese offert visus; qui eo diligentius, & accuratius frænandus est, quod soleat homines inducere ad omnia peccata capitalia: [vt Anton. p. 4. tit. 4. cap. 10. §. 2.] nimirum ad auaritiam, superbiam, inuidiã, acediam, & præsertim ad luxuriam: nam vt ait Sapiens Eccl. 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt:* hinc enim concupiscentia, quasi ignis exardescit; vt patet Gen. 6. *Videntes filij Dei filias hominum, &c.* & cap. 12. Aegyptij Saram. & Iudic. 14. Samson videns Dalilam, & alij; vt nos suprà lib. 1. tract. 3. c. 11. Propterea Matth. 18 præcipit Dominus, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te; &c.* facile enim est oculorum aspectu peccare, quoties obijcitur obiectum libidinosum, & statim propter eorum velocitatem cadere; quod non accidit alijs sensibus. Hinc 2. Petr. 2. *Oculos habentes adulterij, & incessabilis delicti*; Sic Olophernes, Iudith. 10. *Statim captus est in oculis eius*; propterea Eccles. c. 31. dicit Sapiens, *Nequius oculo quid creatum est?* Adde quod frequentius oculus peccat; nam vno aspectu potest quis concupiscere multas mulieres: peccat item audacius, nec tam facilè eius impudicitia deprehenditur, sicut alio-

Mulierũ aspectus vitãdus.

liorum sensuum: est præterea insatiabilis; vt Eccl. 1. *Non satiatur oculus visu*; propterea Thren. 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam, &c.* & Aug. [ser.3. de communi vita cleric. & ep. 109. ad Monach.] *Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius*; cap. *Nec solo*. 32. q.5. Ideo Basil.[lib.de virg.& ser. de abdicat.] hos aspectus omnes periculosos prohibet; & verò etiam imagines talium personarum aspicere. Similiter August. [lib.10.Confess.c.34. & lib. 83. qq.] adiungit his inductam esse idololatriam. Statuamus igitur hunc sensum esse diligentissime frænandum; & orandum cum Propheta.Psal.118. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem*.

Et impudicarum imaginũ.

2 Auditus deinde est mortificandus; propterea quod audire mundanas res, & nugas maculat animam; [vt Basil.in serm.de abdic. rerum:] Item quia dæmon odit sermones bonos, & fauet malis: [vt Cassian. lib. 5. Instit. cap.31.] Musicas item suaues deuitare expedit; quia mouent ad lasciuiam, & hominem reddunt effeminatum; [vt Basil. lib. de vera Virgin.] Cantus verò Ecclesiasticus, quia mouet animam ad cælestia contemplanda, laudabilis est,& audiendus; non tamen causa delectationis, sed deuotionis. [August.lib.10. Confess.c.33.]

Et Auditus.

Sup. l.1. tract.3.

In lasciuis cantibus.

3 Odoratus autem, vt moderatè adhibitus propter sanitatem est laudabilis, sic lasciuus detestabilis; [vt Aug.lib.4. contra Iulian. c. 14.

Odorat9 etiam.

14.Petrus Damian.de contemptu sæculi.]

Gustus. 4 Gustus item frænandus; nam gulæ vitium nocet animæ, & corpori; vt lib.1. tract.3. exposui. quare virtutum amatori abstinendum est à cibis delicatis, & superfluis; [Basil. lib. de vera virg. Aug.de conflictu vitiorum cap. 20.] idq. ipse, ac Sancti omnes obseruarunt.

In qualitate cibi. In quantitate. Quantitas verò cibi, & potus moderata esse debet; ita vt quisque medium rationis seruans necessitati corporis seruiat, non voluptati: [vt Basil.de vera virg. Aug.lib.10.Confess. cap.31. Doroth.serm.10.Vincen.de vita spirit. cap.3.] Monent præterea Sancti, esse seruandum vniformem modum: [vt Histor. Tripar. lib.8.cap.1. Cassian.lib.5.cap.9.] Item ad finem bonum referendum esse; nimirum ad corporis refectionem, ad obsequium Dei; vt monet Apostolus 1.Cor. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, &c. omnia ad gloriam Dei facite*: [Aug.lib.10.Conf.c.31. Basil.serm.de abdicat. & lib.de vera Virg.] Ad hæc sumendum esse cibum tamquam medicinam docet Greg. & nimiam auiditatem esse vitandam patet Eccl. 37. vbi dicitur, *Noli auidus esse in omni epulatione; & non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas*. [idemq. monet Aug.q.11. in Euang.lib.2.] immo hoc est primum certamen serui Dei; in quo nisi vincat, non vincet in alijs; [vt Cassian.lib.5. cap.13.& 14. Basil. loco supra notato, Clim. gradu 14. & 15.]

Quæ seruanda in corporis refectione.

Gulę sẽper aliquid sub trahẽdũ. Ad hanc autem victoriam, præter orationẽ, proderit semper aliquid gulæ subtrahere: ita

vt homo numquam à mensa sine fame discedat; [vt Aug. lib. 10. Confess. c. 30. Cassian. lib. 5. Vincentius, & plerique alij.] & præsertim illa relinquendo, quæ gustum magis delectāt: idemq. Sancti omnes exemplo docuerũt; quos longum esset enumerare. Adde quòd sobrietas auget etiam gustum corporalē; [vt Amb. lib. de Helia, & ieiun. c. 9. & Vincentius loco supra citato. Chrys. hom. 19. in ep. 2. ad Cor.] Iuuat item modestia, & corporis compositio in mensa; [vt Doroth. serm. 6.] & denique considerare illorum egestatem, qui vix panem habent, & minus fortè peccant; & extra necessitatem de cibo non cogitare, nec loqui. [Lege Basil. in Reg. fusius disput. inter. 18. & 19. & in Regul. Breu. inter. 206.]

Modestia in mensa.

Sequitur nunc vt dicamus aliqua de potione vini. & primum occurrit Sapientis dictum, qui ait Eccl. 31. *Exultatio animæ, & corporis vinum moderatè potatum: sanitas est animæ, & corporis sobrius potus: vinum multum potatum irrisionem, & iram, & ruinas multas facit.* & cap. 19. *Vinum,* inquit, *apostatare facit sapientes*; & Prou. 20. *Luxuriosa res vinũ, & tumultuosa ebrietas; quicunque his delectatur, non erit sapiens.* Propterea Salomon ipse, vt sapientiam obtineret, à vino abstinuit, Eccl. 2. & Apostolus ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Idcirco Nazaræis in antiqua lege fuit omnino interdictum. Leu. 10. Num. 6. In lege autem Euangelica moderatus potus nemini prohibetur: attamen Sancti Dei, tutiorem viam sequuti, propter car-

Vinũ moderate potandũ.

Inf. tr. 2. c. 25.

Sãcti vino penitus abstinuere.

carnis macerationem, & maius meritum à vino penitus abstinuerunt, [vt Cyril. Catech. 4. Prosper de vita contempl. lib.2.cap.22.] & ob hanc causam laudatur Daniel. Dan.cap.1. & 10. & D.Ioannes Baptista. Luc.c.1.[vt notat Euseb.Emissen.ser.2.de Ioan.Bapt.] ideq. S.Marcus Euangelista verbo, & exemplo docuit; vt habetur in Histor. Eccles. Atque hos imitati antiqui illi Clerici, & Monachi non vinum, sed aquam biberunt; [vt Aug. lib.1. de morib. Eccles.cap.31.& Hieron.de custodi virgin.ad Eustoch.] Quapropter Apostolus Timotheo scribit, *Modico vino vtere propter stomachum* 1. ad Tim.5. vt obseruat Ambr. in epist.82. quia scilicet aquam bibebat, modicũ tantum concedit, idq. propter infirmitates.

Præsertim ieiunij tpe.

Præterea in diebus ieiunij id præsertim fuisse obseruatum testatur Aug. [in serm. quodam. Hieron. epist.ad Nepot. de vita cler. Gregor. Nyss. de pauperibus amandis. Ambr. lib.3. de virg.] Postremò hanc vini abstinentiam maximè conuenire mulieribus, & pueris asserit Basil. & Hieron. Neque id mirum, cum etiam Romani id obseruarint; [vt Valer. Max. lib. 2.cap.1. & Alex.ab Alex. lib.3.cap.11.]ideq. Persarum iuuenes, [vt scribit idem Alex. ab Alex. lib.2. cap.25.] sed de his hactenus. [Lege Ephrem. tom.1. serm. de Virg. Basil. homil.14. in ebriet. Chrysost. homil.29. in Genes.]

Præsertim Mulieres.

Tactus seuere mortificandus.

5 Tactus sequitur: quem esse accuratè mortificandum, nemo Christi sectator dubitat; cum sit omnibus perniciosus, & turpes appetat

rat delectationes, morbidas vestes, & similia : à quibus seruo Dei est abstinendum, vt cælestium voluptatum sit particeps : immò contra adhibenda sunt cilicia, flagellationes, aliæq. afflictationes; [vt Basil. lib. de vera virgin.] Lectus item moderandus est, quia est fomentum vitiorum. Hanc autem mortificationem Hieron. in Ezech. cap. 44. comparat circuncisioni; quod ea, quasi gladio, iugulum voluptatis petatur. sic Sancti *circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Et vt singulare aliquod exemplum afferam, Gregorius Episcopus Turonensis ne infantes quidem consanguineos leuiter tangere ausus est, vt refert Surius. Et Ammonius Abbas etiam ab eorum aspectu abstinuit; [vt histor. Tripart. lib. 1. cap. 11.] Anselmus vix seipsum honeste tangere permittebat: tantus erat in his puritatis amor, tanta verecundia. *ad Heb. 11.*

6 Restat postremò dicere de frænanda lingua, de qua copiosè lib. 1. egi tract. 3. cap. 6. & 7. hic tamen aliqua adiungam. Et primum abstinendum esse seruo Dei etiam à leui detractione, quæ est de leuibus proximi peccatis, iuxta consilium Sapientis Eccles. 19. *Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te; fidens quoniam non te disrumpet. A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis.* Item quia Deo non placet, & sæpe ad grauiora trahit: & denique quod eius radix curiositas sit, vel inuidia, vel occulta superbia: vt Hieron. ad Celantiam. Quapropter à Deo puniri solet; vt patet Num. 21.

Frænāda est lingua. 1. à Detractione etiam leui.

12. de Maria [Lege Greg. Regist. lib. 12. c. 31.] Secundò secretum extraneum ne reueJet: nam, *Qui denudat arcana amici, fidem perdit; & non inueniet amicum ad animum suum*; vt monet Sapiens Ecclef. 27. Item Prou. 11. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana; qui autem fidelis est, cœlat amici commissum*. [Lege Basil. lib. de vera virginit.]

2. A reuelādo secreto.

3. A mendacio, & fictione.

Tertiò à mendacio etiam leui abstinendum: quia mendax est sine honore, immò est odibilis; & perditionem hæreditabit. Eccles. 20. & 37. Cauenda item fictio, Psalm 5. *Virum dolosum abominabitur Dominus*, & Eccles. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*; & Prou. c. 11. *Simulator ore decipit amicum suum*; & Iacob. 1. *Vir duplex animo inconstans est*. [Lege Greg. lib. 18. Moral. cap. 4. Aug. lib. de mend. cap. 6. & habetur in cap. *Si quis ad se*. 22. quæst. 2. Bern. serm. 2. de altitud. cord. Alphons. à Castro contra hæres. lib. 10. V. *Mendacium*, & quæ nos infra tract. 2. cap. 17.]

4. A contētione.

Quartò, cauenda est omnis contentio; quia *Honor est homini, qui separat se à contentionibus*. Prou. 20. & Apostolus ad Rom. 13. *Non in contentione*, inquit, *& æmulatione*. & ad Phil. 2. & 2. Cor. 13. *Idem sapite, pacem habete*. Item D. Iacobus cap. 3. contentiones improbat.

5. A verbis otiosis.

Quintò denique abstinendum est à verbis otiosis: quoniam de his exigetur à nobis ratio: Matth. 12. Otiosa autem appello, quæ neque necessaria, neque vtilia sunt: [vt Greg. Past. p. 3. admon. 15. Basil. in Regul. breu. interr. 23. Hieron. in Matth. lib. 2. cap. 12. Vincent.

Sup. lib. 1. tract. 3. c. 7.

tent. *de vita Spirit.* c.2.] Verumtamen verbum indifferens, ad bonum finem prolatum, vtile censetur, non otiosum, [D.Thom. in 2. sent.dist.40.art.5. ad 8. ex Greg.] Otiosa verò detestantur sancti. Primum quia sunt offensa Dei. Secundò, quia ab his ad nociua venitur. [Greg.Past.par.3. admon.15. & lib. 7.Mor.cap 24. Aug.ser.3. *ad fratr. in Eremo.*] Tertiò, quod impediant animæ pacē, ac deuotionē: hinc Doroth.ser.20. ait loquacitatē extinguere cælestes cōsolationes: idcirco Prou. 14. *Vbi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas*; simile Greg.hom 6.in Euāg. Hinc Chrysostomus nunquā verba acuta protulit, nec permisit coram se ab alio proferri: vt Sur. in eius vita. Similemq. in loquendo prudentiam tribuit Gregorio Episcopo Turonensi, D.Thomæ de Aquino, & multis alijs: & denique S. Augustinus Sanctæ Monicæ. lib.9. Confess.c.9.

Verbi otiosi dāna.

De Moderatione, ac modo in mortificatione seruando. Cap. XXIII.

CVm animaduertit humani generis hostis non posse Dei seruos voluptatum illecebris a via recta abduci, in ipsis pœnitentiæ operibus laqueos tendit: vt quos vitiorum turpitudo à peccato exterruit, in id falsa virtutis species inducat. Quapropter mortificationes, & pœnitentias, quæ vires corporis excedant, suadet: vt tandem ægritudine grauati, virtutum opera intermittentes, corpori indulgeant: atque sic postea relaxato animo, tentationi irruenti cedant, & ruant. [vt Greg.Past. p.3. cap. 13. & Bern. serm. 64. in Cant.] Idcircò

Ab indiscretis mortificationibus temperandū.

Confessarius huiusmodi feruorem frænet, & corporis afflictationes viribus pœnitentis metiatur: ne dum consuere vult quod disruptum est, scissuram deteriorem faciat; ac dum eum, qui lapsus est, erigere, & emendare studet, casus ipse maior per eum reddatur; [vt Chrys. lib. 2. de Sacerd.] Quod vt melius percipiatur, statuo Primum, non teneri hominem adhibere media exquisita ad conseruandam sanitatem; [vt probat Victoria in relect. de homicid. num. 34. & de temper. num. 13.] & propterea posse facere pœnitentiam, quæ vitam corripiat; [ibid. num. 25.] Non licet tamen consumere corpus. [Basil. lib. de virg. Greg. lib. 20. Mor. cap. vltimo, & alibi. Hieron. item ad Demetriad.] Secundo statuo, perfectionem consistere in charitate principaliter; ad Galat. 5. & 1. Cor. 13. mortificationem verò cum reliquis operibus bonis esse instrumentum; [vt Basil. lib. de vera virg. Cassian. collat. 1. cap. 7. & coll. 2. cap. 16. & 17. & coll. 21. cap. 13. Aug. serm. 1. de S. Io. Bapt. Euseb. Emiss. ho. 2. ad Monach. D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 1.] Hinc Chrys. hom. 47. in Matth. *Stude*, inquit, *charitati potius, quàm ieiunio*. Hinc patet mortificationem sumendam esse, vt medium, non tamquam finem. [Cassia. c. 7. citato.] & propterea discretè adhibendam; ea nimirum moderatione, vt non impediat maius bonum; [vt Hieron. in reg. Monach. & refertur in cap. *Non mediocriter*, de consecr. d. 5. & Aug. l. 1. de morib. Eccles. Basil. de vera Virgin.] Vincent. de Vita spirit. c. 3. *Quia*, inquit, *in-discre-*

Sanitas exquisitis modis non procurāda.

Perfectio potissimum in charitate.

Mortificatio est medium, non finis.

discreti sunt in pœnitentijs, intermittunt postea Spirituales exercitationes; & alijs oneri sunt, qui ipsorum valetudinem curant. Confirmatur exemplo Iudæ Machabęi, 1. Machab. 5. & S. Martini, vt in histor. relig. Non enim in omnibus Sancti imitandi sunt; sed in præcipuis virtutibus pro cuiusque viribus cum prudentia. *Sup. c. 2. §. 4.*

Quarto, ex his intelligitur, multos hæc ignorantes illudi à Dæmone: cùm enim putent totam perfectionem consistere in corporis afflictionibus, sæpe contemnunt abnegationem voluntatis, & intellectus; & per superbiam elati, à via perfectæ charitatis aberrant. Similes illusiones detexit Arsenius; vt refert Surius in Iulio; & Moyses, vt Cassia. coll. 2. c. 5. & seq. item S. Franciscus, vt histor. min p. 3. l. 8. c. 40. [Lege Ariam tract. de mortific. Euseb. hom. 4. & 6. ad Monachos.] Illusiones in hac re.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Via Illuminatiua; seu de studio adhibendo ad virtutes comparandas, augendas, & conseruandas.



Xpurgata anima à peccatis, vitijs, & passionibus, virtutum splendore illustranda est; vt Deo frui possit. Non enim satis est veterem hominem deponere, sed nouum induere necesse est, quod planè hac via illuminatiua fit; Illuminatiua Via ĩquo cõsistat. *Eph. 4.*

fit : hæc enim consistit in Dei gratia, & virtutum omnium complexione : quibus qui benè instructus est, legem Dei obseruat ; cuius proprium est mentis oculos illuminare . Psal.18. [Chrysost. hom.13. ad Ephes. & 4. ad Rom.] Item quia fides, quæ virtutum omnium est fundamentum, cùm per dilectionem operatur, purificat corda : & homines vocat in admirabile illud lumen, quo abscondita mysteria percipiūt, & filij lucis nominantur. Qua ego luce fretus, conabor saltem hanc lucis viam monstrare : Sed antequam ad rem aggrediar, lectorem admonitum velim, non esse mentis meæ, nec propositi instituti, perfectam hic de virtutibus tractationem tradere : sed solum exposita cuiusque virtutis ratione, & præstantia, media ad illam consequendam indicare. Sed tamē dicamus primum aliqua de virtute generatim.

Eph.5.

Auctoris scopus.

De Virtutis natura, præstantia, necessitate, & efficacitate. Cap. I.

Virtus quid.

1 VIrtus est, *Habitus, seu bona mentis qualitas, nos reddens promptos ad bona opera, secundum rectam rationem efficienda.*

Virt⁹ est duplex.

2 Vt aútem duplex est virtus, infusa scilicet, & acquisita, ita duplex est opus bonum ; Vnum Morale, quod quidem est *Operatio secundum rectam rationem facta, in mediocritate rationis consistens :* Alterum verò Meritorium, *quod non solum ex ratione, sed etiam ex charitate propter Deum super omnia dilectum proficiscitur.*

3 Hinc

3 Hinc sequitur dari posse opus moraliter bonum, quod tamen non sit meritorium; quia scilicet non refertur in finem supernaturalem Deum: quod tamen non est malum; quia per se referri posset in illum finem, quamuis actu non referatur, & habet proximum finem bonum, nec excludit finem vltimum, nec ei aduersatur.

4 Non solum tres virtutes Theologales, sed Morales etiam ei, qui iustificatur, infunduntur à Deo; eæque simul coniunctim; quia virtus, si est perfecta, incitat, & iuuat hominem non solum ad agendum bonum, sed etiã ad bene agendum: hoc autem non potest fieri sine prudentia, & animo composito vi omniũ reliquarum virtutum; [vt docet D.Thom. 1. 2.q.65.art.1.Greg.22. Moral.c. 1. Aug lib.6. de Trin. c.4.] Adde quòd cùm dictæ virtutes imperfectæ sint in hac vita, propterea vt facilius, & melius homo operetur bonum, infunduntur septem dona Spiritus sancti; [vt D.Th. 1.2. q.68. art.2.] Virtutes infusę cũ gratia.

5 Omnes virtutes infusæ pendent ex Dei gratia gratum faciente; (excepta fide, & spe, quæ remanent in peccatore, dummodo in actum infidelitatis, vel desperationis non incidat:) quare amissa gratia per peccatum mortale, amittuntur etiam dictæ virtutes. Quatenus à gratia pendent.

Præterea statuo gratiam per se non esse actuosam, sed agere per virtutes; itaque virtutes sunt adiutrices gratiæ ad rectè agendum: & item gratia augetur in anima per actus virtutum à Spiritu sancto. Virtutes adiutrices gratiæ.

Earum prærogatiuæ, ac bona.

6 Virtus tribuit homini vitam cælestem; & ficut vitium facit hominem similem Sathanæ, ita virtus facit illum similem Deo; & item facit omnia humana despicere, & futura cogitare; [vt Chryf.hom.3. ad pop.] Ad hæc facit hominem ita clarum refulgere, ac si esset sole circundatus; & radios virtutis non solum in terram emittere, sed supra ipsum cælum proprio splendore radiare. [Chryf. hom.15. in Matth.]

7 Virtus est solida, fortis, & constans; ita vt illa præditus Deum quærat, non propriam consolationem: & propterea nullis difficultatibus, aut laboribus mouetur, nec mortem ipsam timet. [Aug. serm.19. de verb. Apost.] Deinde passiones hominis moderatur: quare ij, qui facile perturbantur, aut cadunt, vel non habent virtutes, vel parum deest vt perdant. [D.Aug. l.19. de Ciu. c.4. D.Thom.1.2. q.59. art.2. & 3.] Adde tamen non adimere sensum corporis, & fomitem; sed temperare, seu frænare. [Greg. l.20. Mor. c.vlt.] Ex quibus intelligitur iniuriam eos facere virtuti, qui dicunt se non posse benè viuere, nisi in solitudine, [vt Chryf. hom.12. ad Philipp.]

8 Hinc sequitur, virtutem esse magnum hominis bonum: & propterea esse expetendam, & procurandam, tamquam rem pretiosissimam: etenim illam reuerentur etiam ij, qui illa carent; [vt Chryf. hom.5. in Gen.] hominem enim ornat, ditat, lætificat, & glorificat. [Lege Chryfost. hom. 23. in Genes. & hom.18. in Matth. & in Psal.44.]

9 Ad

5 Ad conſequendam autem, & conſeruandam virtutem, confert plurimum aſſidua oratio, Luc. 11. Deinde fortitudo in ſuſtinendis laboribus, & difficultatibus; [vt Chryſ. hom. 14. in 1. ad Cor. Baſil. epiſt. 42. ad Maximum.] Tertiò ardens amor virtutis. [Chryſ. hom. 1. ad Philipp.] Quartò, vt non laborem, ſed præmium ſpectemus, qui eſt Deus: vt Gregor. Nazianz. Quintò, aſſidua exercitatio virtutis: nam per peccatum mortale amittuntur virtutes infuſæ, modo paulò ante dicto: morales verò per ceſſationem ab actu, & multo magis per contrarium actum corrumpuntur; [vt D. Thom. 1.2. q. 53. art. 3.] & aliquæ etiam peccatis ſolum venialibus contrarijs, vt temperantia, modeſtia, manſuetudo. [Lege Chryſ. hom. 3. *de verbis Iſai.* & hom. 24. ad Hebr.] Sextò, Chriſti virtutes imitari. [Greg. Paſt. p. 1. c. 3.] Poſtremò iuuat eas virtutes promptius exercere, ad quas procliuiorem ſe quiſque natura, vel gratia ſenſerit; qui enim non ſequitur inſtinctum Dei in vſu doni, caſum tentat; [vt Gregor. lib. 1. Dial. cap. 4.] Sed ad ſingulas veniamus.

Quæ conferāt ad gignendam, & augendam virtutem.

De Fide. *Cap. II.*

1 INter virtutes Theologales primum locum obtinet fides, quia eſt aliarum virtutum fundamentum: *Sine fide* enim *impoſſibile eſt placere Deo:* ad Heb. 11. Eſt autem *Habitus intellectus, à Deo infuſus, quo firmiter aſſentimur ijs, quæ à Deo per Eccleſiam reuelata ſunt.* Aliam item definitionem tradit Apoſtolus

Fides quid.

lus loco iam notato; *Est*, inquit, *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*; [de qua D. Thom. 2.2. q.4. art.1. Lege Azor. Instit. tom.1. l.8. Quando verò teneamur exterius fidem profiteri, lege apud Tolet. l.4. c.2. & alios.

Eius prærogatiuæ.

2 De laudibus fidei lege Suar. in 3.p. q.7. art.3. & Aug. ser.38. de temp. Est enim *bonorum omnium fundamentum, & humanæ salutis initium, sine quo nulli salus*: item ex Cyrillo Hieros. Catech.5. *Est oculus illuminans conscientiam, & intelligentiam efficiens*; & ex Cyrill. Alexan. l.4. in Ioan. c.9. *Est ianua, & via in vitam; & recursus quidam, ac reductio à corruptione ad immortalitatem*.

Eius actus.

3 Actus primus fidei est credere firmo proposito omnibus, quæ Deus reuelauit per Ecclesiam catholicam. Secundus, credere statim, ac sine hæsitatione. [Basil. serm. *de fidei confess.*] Tertius, humiliter se Deo subijcere cum simplicitate pueri, captiuando intellectum, Matth.18. & 2. Cor.10. [Chrysost. hom.4. in epist.1. ad Cor.]

Quibus conseruetur adminiculis.

4 Ad conseruandam fidem confert humilitas; nam superbia est causa hæresis, [August. in Psalm.25.] Secundò, vsus sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; Christus enim est causa efficiens, meritoria, finalis, & exemplar, ac regula fidei. Tertiò, cogitare charitatem maximam Dei in homines, & promissa, & quàm sit fidelis, & quod fides nititur eius reuelationibus. [Chrys. hom.4. & 5. in ep.1. ad Cor. & hom.1. in ep.1. ad Tim.] Quartò, quod Ecclesia

elesia est *firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. & in moribus errare non potest, [Bellarm. to.2.contr.1. lib.3.cap.14.] Item quod Ecclesia est sponsa Christi dilecta, & corpus mysticum, cuius caput, & rector est ipse Christus; & est congregatio,& perpetua,vsque ad finem mundi. Hanc autem esse Ecclesiam Romanam, patet ex consensu fidelium, ex priuilegijs, ex miraculis, & ex traditione; [de quibus Bellarm.to.1.contr.3.lib.2.cap.12.& seq.] Quintò abstinere à lectione librorum prohibitorum, & ab hæreticorum consuetudine; ad Titum 3.ad Galat.1.& 2.Petri 3. [Lege Orig. hom.3. in Leuit.] Sextò, denique virtutum actibus vacare, præsertim religionis; de quibus suprà diximus. Hæc de Fide.

De Spe. Cap. III.

1 SPes est *Virtus à Deo infusa in voluntate, qua certò expectamus futuram beatitudinem ex gratia, & meritis Christi,& ex nostris meritis ex gratia prouenientibus*. Hinc patet, quod si nostra merita durent vsque ad finem vitæ, spes illis innixa est infallibilis. Spes qd.

2 Differt autem ab amore,& desiderio:quãuis enim etiam his appetitus tendat in bonum, sed tamen diuersa ratione: obiectum etenim Spei est bonum, quatenus est futurum, arduũ, & possibile obtineri; nempe diuina ope. [Lege Tolet.lib.4.cap.7. Azor.Instit. tom.1. lib.9.c. 2.] Ex quibus intelligitur non solùm differre Differt ab Amore,& Desiderio.

à si-

Differt à Fide. à fide, quod Fides sit in intellectu, & circa verum, Spes in voluntate, & circa bonum: sed etiam quia fides est etiam malorum, quæ credimus; spes autem tantum bonorum, quæ expectamus. [August.in Enchir.c.8.] Propterea dicitur beatitudo vitæ mortalis, Psalm.33. *Beatus vir, qui sperat in eo*; vt notat August. [lib.19.de Ciuit. cap.4.] dummodo sit formata charitate: duplex est enim spes, formata scilicet, & informis; similiter etiam fides, de qua re consule Theologos.

Tres ei⁹ gradus. 3 Primus gradus est velle sperare; iuxta consilium Dauid, *spera in Domino*, Psalm.36. Secundus est constanter sperare: quapropter comparatur galeæ, & anchoræ. ad Hebr.6.[vt Bern.serm.3. *de septem panibus*.] Tertius alacriter sperare: quocirca ad perseuerandum iuuat. [Bern.serm.9.in Psal. *Qui habitat*.]

Spei presidia. 4 Disponimur, & excitamur ad sperandum, Primo ex meditatione misericordiarum Dei; [de quibus Bernar.serm.3.*de septem panibus*.] Secundò, quod vocat, hortatur, ipsiq. est cura de nobis; & non deludit, sed est fidelis, 1.Cor. 1. & prima ad Thessal.5. Tertiò, satagamus, petamus gratiam, perseuerantiam, & vitam æternam; nam reliqua iam accepimus. [Ambros.lib.2.de vocat.gent.c.2.] Quartò, quoniam spes non confundit, ad Rom.5. Psal.30. & 33. Promissiones enim Dei sunt certiores, quam res quæ in nostris sunt manibus; [vt Chrysost.serm. *de nomine Abraham*. tom.1.] Quintò, quia hac perficitur homo. [Chrysost. in Psal.4.] Sextò denique ad sperandum inflam-

flammamur beneficiorum Dei multitudine, & magnitudine, [Chrysoft.hom.13.in Matth.]

De Charitate. Cap. IV.

1 CHaritas est *Virtus à Deo infusa, qua Deum propter seipsum super omnia diligimus, & reliqua omnia propter Deum*. Et pro expositione, Primum obserua, charitatem esse amicitiam supernaturalem inter Deum, & homines; ad quam requiritur beneuolentia, seu mutuus amor, commercium, & communicatio, [de quibus D.Thom.2.2.q.23. art. 1.] Secundò sequitur ex eadem definitione, proprium obiectum charitatis esse ipsum Deũ, qui primo, & summo amore diligitur; ratio autem diligendi est summa eius bonitas, & perfectio; quare immediatè tendit in eum, quatenus est vltimus finis. Ex quo tertiò sequitur, esse virtutum omnium præstantissimã, quod Deum per seipsum proximè, & perfectissime attingat. [Aug.l.15.de Trinit.c.18.] Item quia finis præcepti est Charitas. Præterea sequitur esse reginam omnium virtutum; quoniam omnibus imperat, & actus earum refert in Deum: Quapropter dicitur earum forma: omnes enim facit diuinas, & meritorias vitæ æternæ. [D.Thom.q.iam notata.] Hinc meritò dicitur *plenitudo legis, vinculum perfectionis, summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, anima sanctarum mentium, causa meritorum*

Charitas quid.

Primariũ eius obiectũ De⁹.

Charitatis præstantia.

torum bonorum, præmium perfectorum; *nam Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan. 4. [Lege Prosper. l. 3. de vita contemplat. c. 13.] Quartò sequitur, quod vt Fides facit nos Christianos, ita Charitas facit nos bonos, idest Dei amicos. [Aug. in Enchir. *ad Laurent.* cap. 117.] Quintò ex dictis planum est, charitatem habere actus elicitos, & imperatos. Sextò esse duplex præceptum charitatis, vnum quo iubemur diligere Deum propter seipsum *ex toto corde, ex tota anima,* &c. idest omni conatu; alterum quo iubemur diligere proximum sicut nos ipsos propter ipsum Deum. Septimò infundi à Deo per Spiritum sanctum, secundū eius mensuram, & voluntatem; & iuxtà cuiusque dispositionem, & cooperationem; [vt Conc. Trid. sess. 6. c. 7. De Iustif.] Quia tamen Deus est causa principalis huius nostræ dispositionis, propterea absolutè Deus est præcipua mensura gratiæ, & charitatis. [Lege D. Tho. art. 3.]

Alia circa eam notanda.

Rom. 5.

Distinguitur à Gratia.

2 Charitas est habitus distinctus à Gratia: nam gratia est in essentia animæ, & per illam homo fit consors diuinæ naturæ, Dei amicus, filius, & hæres vitæ æternæ. Hinc consequūtur virtutes supernaturales, vt possit operari pro sua dignitate: nempe Fides, vt Deum cognoscat; Spes, vt in eum speret; & Charitas, vt eum amet tanquam patrem, & amicum. Charitas igitur est in voluntate ad operandum: Gratia verò non agit immediatè. D. Thom. ar. 1.

Auge-

3 Augeri semper potest in via, in qua homo positus est, vt progrediatur: Augetur autem per opera bona in gratia facta meritoriè, [vt Conc. Trid. sess. 6. cap. 10. & can. 32. de Iustific. D. Thom. art. 3.] Sunt autem tres charitatis status, id est incipientium, proficientium, & perfectorum, vt libri primi initio dixi. Quo modo augeatur.

4 Amittitur charitas per quodlibet peccatum mortale, [vt Conc. Trid. sess. 6. c. 5. & c. 14.] Non autem per peccatum veniale, quamuis per hoc eius feruor minuatur; [de quo D. Thom. q. 24. art. 10.] Adde quod nemo potest esse certus in hac vita se habere charitatem; potest tamen aliquibus signis dignosci; [de quibus Antonin. par. 4. tit. 6. c. 2. §. 7.] Quomodo amittatur.

5 Tenemur præcepto charitatis sūmo amore Deum diligere super omnia, hac ratione; quia scilicet actus, seu amor charitatis, quo Deum diligimus, licet per se sit minimus, tamen propter præstantiam sui obiecti supernaturalis superat omnes alios amores; alioqui non esset dilectio Dei super omnia. Charitas enim in se considerata habet gradus; est enim parua, maior, & maxima: sed tamen collata ad alios amores vendicat sibi dominium in corde: quare qui habet charitatem etiam minimam, necesse est vt diligat Deum super omnia; [vt Bonau. in 4. dist. 16. q. 1. ar. 2.] Eius præceptum.

6 Primus autem gradus imperfectorum est diligere Deum propter beneficia, & spem retributionis. Ps. 118. [de quo Bern. tract. *de diligendo Deo*.] Secundus quo diligimus Deum pru- Eius gradus.

propter seipsum, qui est perfectior. [Aug. hom. 38. lib. 50. homil.]

Dilectio Proximi, etiã inimici.

7 Signum autem dilectionis Dei est dilectio proximi, 1. Ioan. 2. Hunc enim tenemur diligere sicut nos ipsos, Matth. 5. Hæc item dilectio se etiam ad inimicos extendit: hinc Macar. homil. 18. *Qui habet*, inquit, *spiritum Dei, omnes vellet intra viscera includere.* Seruandus est tamen ordo in hac dilectione; de quo, & alijs multis, consule Doctores: hæc enim eo consilio prælibauimus, vt perspecta huius virtutis præstantia in eius amorem incitemur; & bonis operibus, id est charitatis, & aliarum virtutum actibus, nos ad eam in nobis augendam præparemus.

Ordo in dilectione.

De Gaudio, & pace. Cap. V.

Gaudiũ & Pax differũt.

1 Gaudium, & pax sunt actus, seu effectus Charitatis. [D. Thom. 2. 2. q. 28. & 29.] Gaudium enim oritur ex præsentia Dei, qui in in nobis est per gratiam: & quia de eius summo bono, & gloria lætamur, qui est proprius actus charitatis, & *fortitudo nostra:* facit enim, vt omnia aduersa facilè toleremus. [Chrysost. hom. 1. in 2. ad Cor.] & quod rotæ in curru, hoc efficit gaudium Domini in anima. Pax verò adest, cùm omnia referimus in ipsum Deum, & proximum diligimus sicut nos ipsos; & hæc est pax, *quæ exuperat omnem sensum:* ad Philip. 4. & quam mundus dare non potest; Ioan. 14. [Lege Greg. Past. p. 3. adm. 23.]

2. *Esd. c.* 8.

2 Conseruantur autem, & augentur, Primum,

mum, si conscientia libera sit à peccato, ita vt caueamus etiam leuia, iuxta sapientem Prou.15. nec patiamur conscientiam in minimo remordere. [Doroth. serm.3. & nos supra tract.1.c.13.] Secundò vsu Eucharistiæ. Ioan. 14. Tertiò humilitate, & mansuetudine. Matt. 11. item quia humilibus Deus communicat diuina dona. [Greg.6. Mor.c.5.] hæc autem quid sint sentiri potest, exprimi non potest; [Greg.5. Mor. c.19.] Quartò si non ingeramus nos in rebus, quæ ad nos non pertinent. [Greg.Past.p.3. adm.30.] Quintò, si omnia nostra Deo committamus, & ab eo pendeamus, vt pueri à patre, iuxta Psal.22. *Dominus regit me*, & 1.Petri 5. *Omnem solicitudinem vestram proÿcientes in eum*; & item in eo confidamus. [Chrys.hom.24. in Acta.] Sextò prodest meditari diuina mysteria, & beneficia. Septimò gloriari in tribulationibus; ad Rom.5. Iacobi 1. Octauò denique vanam lætitiam fugere. [Greg.4.Dial.c.17. Chrys.hom.2. ad Thessal. & hom.15.ad Hebr. & nos supra tr.1.c.22. §.6.& l.1.tr.3.c.7.]

Quomodo cõser uẽtur & augeantur.

De Zelo. Cap. VI.

1 ZElus etiam est effectus charitatis; [vt Aug. conc.8. in Psal.118.] Vt igitur duplex est charitas, ita duplex est zelus: vnus quo procuratur gloria Dei, & repellitur contrarium; alter quo bonum proximi; [vt D. Thom.1.2.q.28.art.4.]

Zelus duplex.

2 Maximo igitur zelo primum procuranda

Pro Deo.

est in omnibus Dei gloria; quia nimirum est summum bonum, & principium omnium bonorum, Creator noster, Redemptor, Pater: exemplo Eliæ, 3. Reg. 18. & 19. atque Phinees, Num. 25. [lege Gregor. hom. 12. in Ezech. in fine.]

Pro salute proximi.

3 Deinde pro salute proximi, nobis à Deo commendati, talentum diligenter expendere oportet: Deus enim *vult omnes saluos fieri*, Ezech. 18. & 1. ad Timot. 2. [& exponit Chrys. hom. 3. in Gen. & hom. 9. in epist. 1 ad Cor. & 79. ad pop. Greg. hom. 6. in Matth. & super Psal. Pœnitentialem *Miserere*.] Vbi ait, *Nullum tam Deo gratum sacrificium, quàm zelus animarum*. Exemplo item Christi Domini hoc satis liquet: qui, *si opus esset, iterum pro salute hominum moreretur*; [vt D. Dionys. in epist. ad Demoph.] præterea quoniam optare debemus socios tanti boni; [Greg. hom. 6. in Matth.] quare qui non exercet talentum sibi datum, reddet Deo rationem; vt Greg. ibid. Item, quia animæ nihil potest æquiparari; [Chrys. hom. 9. in epist. 1. ad Cor.] & qui non potest aliter, iuuet oratione; Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini*; & exemplo sanctæ conuersationis, 2. ad Cor. 2. & 1. Petri 2. & denique correptione fraterna, de qua dicam cap. 8. Ita vt magnum lucrum se fecisse reputet, si vnam saltem animam ad Deũ conuerterit, [vt Chrys. hom. 3. in ep. 1. ad Cor.]

Zelus animarũ.

De

De Misericordia. Cap. VII.

1 Misericordia est *Alienæ miseriæ in nostro corde compassio*; [vt Aug. lib. 9. de Ciuit. cap. 5. D. Thom. 2. 2. q. 30.] Estq. plurimũ Deo grata, & species sacrificij: Hinc Apostolus ad Hebr. vltimo, *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus*. Immo placet Deo magis, quam sacrificium, iuxta Oseæ 6. *Misericordiam*, inquit, *volui, & non sacrificium*: hoc est, misericordiam malo, quam sacrificium: [vt August. lib. 10. Ciuit. c. 5. Tolet. in Luc. c. 5. adnot. 64.] Quapropter misericordia est potissima inter virtutes morales, quæ ad proximum spectant: [vt D. Thom. q. cit. art. 4. & August. cap. 5. iam adducto. Lege etiam Chrys. hom. 4. in ep. ad Philip. & hom. 32. in epist. ad Hebr. & hom. 34. & 79. ad pop. Greg. lib. 21. Mor. c. 14. Bernar. serm. 10. & 12. in Cant. Petr. Chrysol. serm. 8. *de ieiun. & eleemos.* & quæ nos infra c. 9.] Misericordia, quid. Eius præstantia.

2 Debet autem quisque eam exercere; Primum erga seipsum: *quid enim miserius misero non miserante seipsum?* vt Aug lib. 1. Confess. c. 13. & præsertim in miserijs spiritualibus, adhibendo media, de quibus dixi tract. 1. Deinde erga proximum in necessitatibus corporis: sed multò magis in necessitatibus animæ, subueniendo eis, cum incidunt in mala spiritualia; quæ sunt peccatum, ignorantia, mœror, morum difficultas, & similia: in quibus malis, vel auferendis, vel tolerandis, mise- Erga quos exhibenda.

ricordia maximè versatur. [Lege Hieronym. super Matth. c.5. tom.9. initio, & Salmeron. tom.5. tract.17. Chrys.serm. *de misericordia*, tom.5.]

Quæ nos ad misericordiā incitēt.

3 Incitare autem nos ad misericordiam potest, & debet; Primum quod nihil damus, quod non acceperimus. Secundò, quod damus fratribus, qui sunt eiusdem naturæ nobiscum, & imago, atque similitudo Dei: immò quod in ipsis damus Christo; nam Matth. 25. ait, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: [lege Ephrem tom. 1. serm. *de amore pauperum*.] Tertiò, pro Dei gloria. Quartò, vt imitemur Deum: Luc.6. *Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est*. Quintò, vt ipsi misericordiam consequamur; Matt. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*: & copiosè Bern. serm.1. *in festo omn.Sanct.* Salmeron.tom.5, tract.17. de serm. Dom. in monte.] Postremò quia facilè ab omnibus exerceri potest; nam sufficit voluntas, cum deest facultas: [vt infrà patebit cap.9.§.3.] Cum autem præcipua misericordiæ opera sint correptio fraterna, & eleemosyna, de his aliqua dicam.

De correptione fraterna. Cap. VIII.

Correptio quid.

1 CORreptio fraterna est *Admonitio proximi de emendatione delictorum, ex misericordia, & charitate proueniens*: [vt D. Thom.in 4.d.19.q 2.Alber. & alij.] Est enim actus elicitus misericordiæ, & effectus charitatis;

tatis; & aliquando est actus iustitiæ: pendetq. maximè ex prudentia dirigente.

2 Est insuper potissima inter opera misericordiæ; quia est spiritualis subleuatio miseriæ fratris, & à Christo Domino plurimum commendata, & inter præcepta diuina numerata: Eccles. 17. *Mandauit illis, vnicuique de proximo suo:* & Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, &c.* & cap. 23. *Omnes autem vos fratres estis:* quapropter debemus inuicem nos subleuare; & 1. Corinth. 12. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra:* Quare fratris bonum quærendum est vt proprium; & ipsius perditio tamquam propria reputanda; ex Chrysost. hom. 61. in Matth. [Lege etiam eundem de eadem re. hom. 30. & 32. in epist. ad Hebr. & hom. 3. in Gen. & 72. & 79. ad pop. & hom. 40. in 1. ad Corinth. Basil. in Reg. breu. interr. 232. & in Reg. fusius disput. c. 9. August. serm. 16. de verb. Dom. & Reg. 3. c. 23. Ambros. in c. 3. epist. ad Titum. Hieronym. in Matth. 18. Greg. lib. 3. Registri ep. 38. in fine. Cassian lib. 10. Instit. cap. 16. Bonau. opusc. *Biblia pauperum* cap. 43.] qui docent adhibendam esse fraternam correptionem, cum speratur fructus. Illud etiam adiungo, quod etiam cum non speratur fructus omitti non debet, cum fieri commodè potest; [vt D. Chrys. hom. 81. in Matth. & hom. 10. & 30. in epist. ad Hebr. Bern. ser. 49. in Cant.] Omitto exempla Sanctorum, qui hoc præceptum sedulò obseruarunt. [Lege Decretal. cap. *Nouit*, de iudic. & cap. *Cum*

Eius commedatio.

Auctores qui de ea.

Quando adhibenda.

ex iniuncto, de hæretic. ex Innoc. III.]

Eius praxis. 3 In praxi autem tria maximè obseruanda sunt: Primum, vt in Euangelico correptionis ordine obseruando statuamus, bonum commune præferendum esse particulari. Deinde salutem spiritualem proximi præferendam esse bono temporali. Postremò, quoad fieri potest, in ea consulendum esse famæ proximi; ne scilicet plus quam opus sit denigretur. Plura verò de hac re scribere non est nostri instituti.

Libenter suscipiẽda. 4 Correptionem denique libenter suscipere est actus humilitatis, & indicium profectus spiritualis; vt Chrys. hom. 3 in Acta Apost. & nos infrà cap. 32. § 10. [Lege plura apud Gregor. Nyssen. in Orat. *aduersus eos, qui ægrè ferunt reprehensiones.*]

De eleemosyna. Cap. IX.

Eleemosyna & Beneficẽtia quid. 1 Eleemosyna est *Opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.* [D. Thom. 2. 2. q. 32.] Quare est actus misericordiæ; quæ cum sit effectus charitatis, sequitur etiam eleemosynam esse actum charitatis mediatè, scilicet per misericordiam: Beneficentia verò est etiam actus charitatis, sed latius patet; nam eius est facere alicui bonum. [D. Thom. q. 31.]

Spiritualis potior corporali. 2 Eleemosyna spiritualis est potior corporali, [Chrys. hom. 32. ad Hebr. D. Thom. q. 32. art. 3.] Vtraque tamen habet effectum spiritualem; quia si fiat propter Deum, maximè pro-

prodest animæ. hinc Eccl.29. *Perde pecuniam propter fratrem; pone thesaurum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis quam aurum:* & cap.3. *Ignem ardentem extinguit aqua, eleemosyna extinguit peccatum:* & Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*; & Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & nõ patitur animam ire in tenebras:* & Prou. 19. *Fæneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Et Lucæ cap. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* & Matth. 5. *Beati misericordes.* & cap. 25. damnantur qui eleemosynam non dederunt. Item sancti Patres dicunt, eleemosynam remittere peccata; immò Aug. ser. 76. de temp. appellat *secundum Baptismum*; & hom. 10. lib. 50. hom. dicit esse *sacrificium Christiani*. Hoc támen non ita est intelligendum, quasi ex opere operato remittat peccata: neque quòd sit dispositio certa, & vltima gratiæ; nam sine charitate nihil prodest. 1. Cor. 13. Sed dicitur peccata remittere, propterea quod sit dispositio ad gratiam; remota quidem, sed singulari modo inter omnia alia opera bona; vt patet ex locis sacræ Scripturæ iam adductis; & ex Psal. 40 *Beatus qui intelligit super egenum, &c.* Item quia cum Deus sit maxime misericors, diligit etiam misericordes. Item Matt. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Adde præterea quòd si eleemosyna fiat ab homine constituto in gratia, & procedat ex charitate, est proxima dispositio gratiæ ad eam augendam: nam etiam

Vtriusq. fructus, & laus.

Quomodo dicatur peccata remittere.

Disponit ad gratiam.

Eamque auget.

alia opera ex charitate profecta sunt meritoria. Ex quo patet non esse nimis confidendum in Eleemosyna; nempe parui pendendo contritionem, & vitæ emendationem; [vt Aug. l.21. de Ciu. cap. vlt. & in Enchirid. c.75.]

Quid erogabit pauper.

3 Qui non habet quod det in Eleemosynã, habet tamen voluntatem erogandi, meretur perinde, ac si eam daret; 2. Cor. 8, *Si voluntas*, inquit, *prompta est, secundum id quod habet, accepta est*; [idem Ambr. lib. 1. Offic. c.3. Aug. in Psal. 121. & 125. Cypr. lib. 3. ad Quir. c.2. Greg. hom. 5. *de Petro, & Paulo*. Chrys. hom. 10. in epist. ad Philipp. Bernar. serm. de conuersion. ad clericos, c. 24. D. Thom. 2.2. q. 32. art. 4. ad 3.] Quare nulla admittitur excusatio: nam qui non potest multum dare, det parum; si non habet temporalia, det spiritualia; adhibeat hortationem, consolationem, toleret, condonet iniurias, oret, lugeat peccata. [Doroth. serm. 14. Chrys. in serm. qui refertur in fine tomi 3. Ephrem.]

Auctores q. de ea.

4 Quis autem teneatur facere eleemosynam, de quibus, quando, & quo ordine, non est nostrum exponere. [Plura de laudibus, & de necessitate eleemosynæ lege apud Chrys. hom. 2. 32. & sequentibus. & 79. ad pop. & hom. 7. in epist ad Rom. homil. 25. in Acta. & hom. 15. in Matth. Greg. lib. 21. Mor. c. 14. & lib. 3. Dial. c. 1. Cypr. serm. *de opere, & eleemosynis*. Aug. loco cit. Leo serm. 5. & seq. de ieiunio decimi mensis, & serm. 1. de collectis. Greg. Nazianz. Oratione *de pauperum amore*. Ambros. serm. 81. Rossignol. lib. 4. cap. 28. &

quæ

quæ nos lib.1.tr.3.cap.10. & lib.2.tr.1.c. 14.]

5 De Liberalitate lege D.Thom.q.117. Est enim *Virtus, qua homo bene vtitur rebus, quæ sunt extra ipsum, ei concessis ad sustentationem vitæ*. Nam, vt Ambros. & Basil.docent, copia diuitiarũ datur aliquibus à Deo, vt meritum bonæ dispensationis acquirant: pauca enim vni sufficiunt; & propterea liberalis plura in alios laudabiliter expendit, quam in seipsum: in spiritualibus autem debet sibi quisque magis consulere, & in temporalibus se non despicere; vt Ambr. lib.1.Off.cap.30. qui etiam addit, quod Dominus non vult effundi diuitias, sed dispensari. At verò propter statum perfectionis licet sibi nihil reseruare; vt D.Thom.art 1. Liberalitas, & Vitia opposita.

Vitia ei opposita sunt Auaritia, & Prodigalitas; de quibus D. Thom. q.118. & seq. & nos supra.

De Prudentia. Cap. X.

1 Prudentia est, *Recta ratio rerum agendarum, cuius præscripto, & præcepto omnes aliæ virtutes in suis actibus diriguntur*. Ex qua definitione patet, prudentiam non præstituere finem virtutibus moralibus; sed solum disponere de ijs, quæ sunt ad finem: applicat enim vniuersalia principia ad particulares conclusiones operabilium, vt D.Thom.2.2. q.47. art.6. Item per eam homo in operando inuenit medium rationis, in quo consistit virtus; idem art.7. Prudẽtiæ munus.

Est

Est triplex.

2 Est autem triplex prudentia; vna falsa, quæ dicitur prudentia carnis, ad Rom. 8. de qua non est hic sermo: altera vera, sed imperfecta; tertia vera, & perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ rectè consiliatur, iudicat, & præcipit. D. Thom. art. 13.

Similiter triplicis generis eius partes.

3 Partes prudentiæ sunt triplicis generis: Quædam enim dicuntur integrales; quæ sunt memoria, intellectus, docilitas, solertia, ratio, prouidentia, circumspectio, & cautio; de quibus D. Thom. q. 49. Quædam deinde subiectiuæ; nempe regnatiua, politica, œconomica, & militaris: Quædam denique sunt partes quasi potentiales, seu virtutes adiunctæ prudentiæ; nempe Eubulia, quæ est bene consiliatiua; Synesis, quæ est iudicatiua; & Gnome, qua homo iudicat secundum altiora principia, quàm sint regulæ communes, secundum quas iudicat synesis. D. Thom. q. 51.

Donum Consilij respõdet prudentiæ.

4 Virtuti prudentiæ respondet donum Consilij, quod numeratur inter septem dona Spiritus sancti, Isa. 11. Nam cum per inquisitionem rationis homo moueatur ad aliquid agendum, & humana ratio non possit comprehendere singularia, & contingentia, quæ occurrere possunt, & item sint *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*. Sap. 9. propterea per donum consilij homo dirigitur à Deo, quasi consilio ab eo accepto; sicut in humanis homines, cum sibi non sufficiunt, requirunt consilium à sapientibus; [D. Thom. q. 52. art. 1.] Quoniam verò singula hæc prosequi longum esset, circa præcipua capita aliqua

adno-

adnotabo, quæ ad perfectionem adiumento esse possunt.

5 In rebus agendis, præsertim difficilioribus, consilium quisque adhibeat expertorum, seniorum, & prudentium; vt suadet Aristot. 6. Ethic. c. 14. Immo Sapiens Prou 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*; & cap. 8 *Ego sapientia habito in consilio*. Item c. 13. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia*; & Eccles. 32. *Fili mi sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit*; & Eccles. 6. *In multitudine presbyterorum*, id est, seniorum, *prudentium sta; & sapientiæ illorum ex corde coniungere*. Hoc enim est esse docilem; quod virtutis amatori est apprimè necessarium: nam cum in particularibus rebus considerandis, propter maximã illarum varietatem, nemo sibi sufficiat quoad omnia; indiget homo ab alio erudiri: requirunt enim longam experientiam, quæ non potest nisi diuturno tempore acquiri. [Bernar. serm. 3. de resurr. Dom. D. Tho. 2. 2. q. 49. ar. 3.] — Consiliũ in agendis adhibendum. — Eius necessitas.

6 Sit tamen cautus in consiliario eligendo, ne erret cum Absalon. 2. Reg. 16. vel Roboam. 3. Reg. 12. & cum alijs incautis labatur. Hinc Eccles. 6. *Sit tibi consiliarius vnus de mille*; simile Eccles. cap. 19. Sit autem consiliarius beneuolus, & prudens, vt Bern. epist. 4 2. Item bonus, & timens Deum. [Ambros. lib. 2. Offic. cap. 12. & 17.] Nec blandiatur, sed pungat oportet; quia *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis*. [Greg. lib. 1. epist. 33.] Præterea iuuenes capiant consilium à senioribus. [Ambr. 2. Offic. c. 20. Bern. — Cõsiliarius caute deligẽdus. — Prou. 27. — Sit senior.

l.4. de Consid Cassian.collat.2.cap. 10.& seq. Doroth. ser.5. Basil. serm.*de abdicat. rerum,*] & Ephr.tom.2.paræn.35. vbi ait, *Si aspexeris adolescentem propria voluntate ascendentem in cælum, tene ipsum;expedit enim ei*; & Aristot. 6. Eth.cap. 11. *Senioris*, inquit, *consilium loco demonstrationis esse debet*. Illud etiam adiungo, interdum etiam inferioris consilium esse sequendum, exemplo Moysis, Exod. 18. [Orig. hom.11. in Exo. in fine.] At verò malum consilium dantes dæmones esse habendos, patet 2.Reg.16. & Matth.16. [Lege Gregor. l.3. Moral. cap.11.]

Actionũ circũstãtiæ attẽdendæ.

7 In actionibus sit circumspectus, & cautus: Circumspectus quidem, vt consideret omnes circumstantias antequam quicquam agat, nimirum loci, temporis, & personarum, &c. Potest enim accidere, vt actio, quæ per se licita est, ex aliqua circumstantia fiat mala; vel saltem habeat speciem mali,& sic scandalum præbeat. [D.Tho. q.49. art.7.] Cautus verò sit oportet; ne dum est præceps in electionibus, & deliberationibus, ruat: multa enim habent speciem boni, quæ tamen mala sunt. [D.Thom. art. 8.]

Discretio in pœnitẽtijs.

8 Sit item discretus in actibus pœnitentiæ, & mortificationibus; qualia sunt ieiunia, flagellationes,& similia;Deus enim vult amari sapienter: [vt Bernar. serm. 19. & 23. in Cant.] Quare adhibeatur modus iuxta vires corporis, ne forte Deo non placeant, quasi sacrificium sine sale oblatum. Leuit.2. [Greg. lib.30. Mor.cap.14. Chrys.l.2. de Sacerdotio.

Cas-

Caſſia.collat.24.c.8. & collat.2.c.4. & 17. & nos ſupra tract. 1.c.23.]

9 In electionibus omnibus, & maximè in ijs, quæ ſunt magni momenti, Dei voluntatẽ, & gloriam omnibus præferat. Rom. 12. *Vt exhibeatis*, &c. *hoſtiam ſanctam, Deo placentem*. Proderit autem ad hoc munditia cordis, [vt Greg. hom.31. in Euang. & lib.10. Mor.c.9. & l.2.in 1. Reg.c.3.] Secundò animus à paſſione ſit liber. [Greg l.8.Regiſt.ep.12.& l.2. ep.68.] Tertiò antequam deliberet, oret indifferens; & cogitet quid in articulo mortis, vel ante Dei tribunal conſtitutus vellet ſe feciſſe: vt de Ephrem refert Greg.Niſſ.& de Ioſaphat ſcribit Damaſc.c.5.& 6. in hiſt. de eodem, vt alios omittam. Quartò cum voluntas impellitur à Deo, illi parendum eſt, vt plerisque viris ſanctis contigit. [Lege Aug. lib. 8. Conf.c.5. & l.9.c.1.] In hoc tamen poteſt homo facilè decipi: quapropter ad orationem, atque ad conſilium ſapientis recurrendum, vel ad regulas de diſcretione ſpirituum; de qua deinceps nonnullam attingam.

Quid ſpectandum in electionib9.

Quibus vijs Prudentia cõparetur.

10 Spiritus, qui hominem ad agendum mouere ſolent, ſunt ſex; nempe Deus, Angelus, Dæmon, Homo, Caro, & Mundus: [vt Bern. ſerm. de ſeptem ſpirit.] Ad hos autem diſcernendos requiritur prudentia; [vt Chryſ. hom. 29.in ep.1.ad Cor. & D.Tho.1.2.q.121.ar.4.] Signa ſpiritus Dei ponuntur à Bernar. ſer. 57. in Cant. De inſpiratione Angelica, Bernar. locis iam adductis, Ric. de S.Vict.p.2.cap.33. in Cant. Quæ inſpiratio procuranda eſt in oratione,

Prudentia in diſcernendis ſpiritibus.

tione, & prudenter exercenda, vt ijdem docent. De spiritu vero diabolico, carnali, & mundano. Lege Bern. de sept. spirit. & item de sept. gener. tent. Lege Ric. 1. p. in Ps. 90. & quæ nos tract. 1. c. 2. §. 9. De spiritu denique humano, & naturali Ricar. 1. p. in Cant. & Bern. loc. cit. & nos in proprio tractatu.

Cognoscitur autem spiritus ex fine, seu termino inspirationis: si enim sonat mollia, tentat caro; si vana, mundus; si amara, diabolus. [De comparatione inter hos spiritus, lege Greg. l. 24. Mor. c. 17. & seqq. Chrys hom. 4. & 8. in ep. ad Rom. & 46. in Matth. & l. 3. de prouid. ad calcem. Aug. l. 12. Conf. c. 16. Seraphinum Firmanum de discernendis spiritibus. Rossignol. l. 3. de discipl. Christ. perfect. c. 17. & 18. Preterea de discernendis reuelationibus, Chrys hom. 28. in ep. 1. ad Cor. & hom. 4. in Matth Greg. 1. Dialog. c. 10. Aug. 22. de Ciuit. cap. 8. & ser. 31. de diuers. & l. 6. Confess. c. 13. Cassia. collat. 1. c. 20. Leo ser. 4. de quadrages. Rossign. l. 3. c. 20. & quæ nos alibi.]

Auctores q. de ea consulendi.

Sibi soli interdũ vacet.

11 Exigit etiam christiana prudentia, vt aliquoties singulis annis virtutis sectator se à negotijs remoueat, ac sibi, & Deo soli vacet; de qua re lib. 1. tr. 1. c. 4. dixi ex sanctis Patribus. [Lege Bas. Constit. monast. c. 5. Gregor. Past. p. 2. c. 3. & l. 25. Mor. c. 8. & lib. 29. c. 12. Bedam in Luc. c. 9 Aug. lib. 10. Conf. cap. 40. Bern. s. 1. & 2. de Consid.]

De

De Iustitia. Cap. XI.

1 IVstitia est *Habitus, quo quisque perpetua, constantiq. voluntate ius suum vnicuique tribuit*. Est enim iustitiæ proprium reddere alteri debitum ad æqualitatem. Eaque duplex est, Legalis, & Particularis; illa refert actus omnium virtutum ad bonum commune: particularis autem ordinat hominem ad singulas personas: ideoq. medium iustitiæ est medium rei: aliarum autem virtutum est medium rationis. Particularis item iustitia est duplex, Commutatiua, & Distributiua: Commutatiua est, quæ facit æqualitatem rei ad rem; sic dicta, quod vt plurimum in commutationibus versetur: Distributiua verò est totius ad partes, puta quæ in singulos æqualiter bona, vel onera reip. distribuit. Præterea in commutatiua seruatur proportio arithmetica, in distributiua autem proportio geometrica; vt Arist. 5. Eth. c. 3. [De quibus D. Tho. 2. 2. q. 57. & seq. Sot. l. 3. de Iust. q. 2. ar. 7. Molina, & alij.]

Iustitia quid.

Legalis.

Particularis.

Cõmutatiua.

Distributiua.

2 Differt iustitia ab alijs virtutibus. Primò quod aliæ virtutes faciunt rectitudinem in ipso agente; iustitia verò præter hanc rectitudinem facit aliam in ipsis rebus. Secundò quod rectitudo aliarum virtutum pendet ex modo operandi agentis, & circunstantijs, &c. Sed in rectitudine iustitiæ, seu in iusto spectatur imprimis æqualitas rerum. Tertiò iustitiæ tribuitur obiectum, quod est ius, seu iustum, quod pendet ex natura rei: reliquis autem vir-

Quomodo ab alijs virtutibus differat.

tuti-

tutibus tribuitur materia; quia earum rectitudo pendet solum, vt dixi, ex intentione, & dispositione agentis. [D. Thom. & Soto locis paulò ante notatis.]

Contra violātes commutatiuā.

3 De iustitia commutatiua solum dicam, vindicem esse Deum fraudis, & iniustitiæ: non enim relinquit impunitos eos, qui circumueniunt *in negotio fratrem suum*. 1. ad Thess. 4. nec qui cælestes, æternasq. diuitias cum terrenis, & caducis commutant; contra quos vehementer inuehuntur Sancti Patres; [& præsertim Basil. hom. 7. & 8. contra diuites auaros; & hom. 6. in c. 12. Lucæ; & epist. 166. Hieron. epist. 22. ad Eustoch. & alibi Greg. l. 8. Moral. c. 32. & l. 18. c. 12. Aug. l. 2. qq. Euang. Chrysost. hom. 1. in Ioann. & hom. 17. in 1. ad Tim. & l. 2. de compunct. cord. tom. 5. Ambr. serm. 81. de eo, quod scriptum est, &c. & l. 5. Examer. c. 5. & l. de Nabuth. c. 1. 4. 5. & 10. Bern. ser. 1. aduent. & ser. 80. in Cant. & serm. de verbis, *Ecce nos reliquimus omnia.*]

Auctores.

Contra violātes distributiuam.

4 Aduersus eos, qui violant iustitiam distributiuam, eligentes indignos ad dignitates, & dignos prætermittentes per acceptionem personarum, non desunt argumenta ex sacris scripturis, & Patribus: nam Deut. 19. habetur, *Non accipies personam, nec munera*; & Prou. 28. *Qui agnoscit in iudicio faciem, non benè facit*; item Iac. 2. *Nolite in acceptione personarum fidem habere*; [& ibi glos. & Aug. l. 2. de ord. & serm. 35. ad fratres in erem. Gregor. l. 19. Mor. c. 11. Chrys. in argum. epist. ad Tim. Ori. hom. 11. in Exod. & hom. 3. in l. Iudic. Hieron.

Auctores.

l. 1.

l. 1. in c. 1. Isa. & l. 2. in c. 8. Zachar. & super Amos. Ambros. lib. 2. Offic. & ep. 20. & super Malac. Ber. ser. 3. in Epiph. & 46. in Cant. & l. 4. de consid. c. 5.]

Præterea in eos, qui supra vires grauant subditos, Basil. Const. monast. c. 32.

De Religionis virtute. Cap. XII.

1 Religio dicitur à religando, quòd nos Deo religet: & est *Virtus, quæ primùm Deo debitum cultum exhibet, deinde sanctis eius:* non tamen est theologalis; quia non versatur immediatè circa Deum, sed circa eius cultum creatum; adeò vt actus religionis sit exhibere Deo aliquem cultum in eius honorem. Est autem pars potentialis, id est imperfecta, iustitiæ: quoniam reddit quidem debitum Deo, non tamen æquale. D. Thom. 2. 2. q. 81. Religio quid.

2 Actus Religionis quidam proprij, seu eliciti sunt, quidam imperati: quia nempe cum sit virtus generalis, actus omnium virtutum extrinsece dirigit in honorem Dei; sicut Charitas refert eos in Dei amorem. Habet præterea actus interiores quasi principales, & exteriores quasi secundarios, per ceremonias exhibitos: Sunt autem hi præcipui, Adoratio, Deuotio, Oratio, Oblatio, Sacrificium, Decimæ, & primitiæ, Votum & Iuramentum: sed hic solùm agam de oratione. [Lege Azor. par. 1. lib. 9. c. 10. Act⁹ ei multi.

3 Religio est idem essentialiter cum sancti-

Q tate,

Quomodo differat à sãctitate.

tate; differt tamen ab ea, ratione: nam religione homo exhibet Deo obsequium debitum in ijs, quæ pertinent ad eius cultum; sancti tate verò hæc, & alia virtutum opera refert in Deum; iuxta Apostolum 1. Cor. 10. *Siue manducatis, siue bibitis*, &c. *omnia in gloriam Dei facite*. Per Charitatem verò homo se dedicat Deo voluntate, seu spiritu; nam, *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo*. 1. Cor. 6. [D.Thom.q.81.art.8.]

De Oratione. *Cap. XIII*.

Oratio quid.

1 ORatio est *Eleuatio mentis in Deum, cum petitione rerum decentium*. Est autem actus religionis; quia per eam homo exhibet Deo reuerentiam, quatenus orando se illi subijcit, & confitetur se illius ope indigere; in cuius figuram offerebatur incensum in veteri lege, [vt glos. in Psalm.140. D.Thom. q.83. art.3.]

Cuius potentiæ actus.

2 Est item actus rationis practicæ potius, quàm appetitiuæ partis: cum enim multa non possimus assequi, voluntas vtitur petitione intellectus practici per orationem. Quare orationis nomine comprehenditur etiam Meditatio, & Contemplatio: nam meditatio docet quid desit, oratio obtinet; [vt Bern.serm.1.in die S.Andreæ, August.lib.2.de serm.Dom.cap. 7. D.Thom.q.83.art.[illegible] & q.180.art.3.] Sunt præterea quatuor orationis partes; prima est oratio, qua homo accedit ad Deum, Secunda petitio, Tertia obsecratio, id est per sacra

Partes eius quatuor.

obte-

obtestatio, Quarta gratiarum actio; [ex prima ad Timoth. 2. & ad Philipp. cap. 4. D. Tho. q. 83. art. vlt.] Atqui dictæ partes conueniunt tam orationi vocali, quàm mentali: Meditatio tamen magis congruit mentali; quia admittit discursum, quo intellectus inuestigat media ad vltimum finem consequendum accommodata: Contemplatio verò est consideratio finis; nam versatur circa Deum, & ipsius attributa, & raro admittit discursum; sed est adhæsio animæ fini vt finis est. Ex his sequitur orationem esse propriam rationalis creaturæ; quoniam est actus rationis: propterea ab ea excluduntur bruta, & diuinæ personæ; vt D. Thom. q. 83 art. 10.

Mētalis, & vocalis.

Contemplatio.

3 Non solum Deum, sed etiam Sanctos orare oportet; vt eorum meritis, & precibus orationes nostræ exaudiantur. Apoc. 8. *Orationes Sanctorum*, &c. & 2. Machab. 15. visi sunt Hieremias, & Onias orare coram Domino: & patet ex vsu, & consuetudine Ecclesiæ iam inde ab initio; vt probat Bellarm. [Lege Concil. Constantinopolit. 6. Nicenum 2. & Trident. sess. 25.]

Orandi etiā Sancti.

4 Cum petitio determinatè fieri debeat, quædam absolute petenda sunt, vt beatitudo, & media ad illam consequendam; quædam conditionatè, si ad salutem conducere Deus iudicauerit. D. Thom. q. 83. art. 5. & 6.

Quæ, & quomodo petēda.

5 Non solum pro nobis, sed etiam pro alijs orare oportet; Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini*; & Apostolus ad Ephes. 6. pro omnibus Sanctis orare iubet. [Chrys. hom. 26.

Orādum etiā pro alijs.

 & 19.

& 29. in Gen. & hom.10. ad Coloss.] Item pro defunctis orandum. [Chrys. hom. 21. in Act. Damascen. in serm. de defunctis. D. Thom. ar. 7. & in 4. d. 45. q. 2. art. 2.] Idq. maximè nobis proderit: non solùm quia est actus charitatis, quæ etiam ad animas purgatorij se extendit; sed etiam quia cum iustæ sint, & Deo gratæ, vicissim etiam pro nobis orabunt beneficij accepti memores, saltem cum peruenerint ad gloriam. Similiter pro omnibus gratias agere Deo docet Apostolus ad Eph. 5. & in 1. ad Tim. 2. hoc est pro omnibus beneficijs, tam nobis, quam alijs collatis; & verò etiam pro illis, quæ contulisset, si per nos non stetisset; vt docuit B. Aegidius. Inimicos verò tenemur non excludere ab oratione; [vt D. Thom. art. 7. & 8. & alij communiter;] Consilium tamen Domini salutare est, vt etiam peculiariter pro ipsis oremus: nam Matt. 5. *Orate*, inquit, *pro persequentibus, & calumniantibus vos; vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est*. [Lege Aug. serm. 170. de temp. Gregor. homil. 27. in Euang.]

Et p defunctis.

Et pro Inimicis.

6 Oratio cum continua esse non possit, tandiu debet durare, quandiu opus est ad excitandum feruorem; & ratione illius debet esse continua virtualiter; vt D. Thom. art. 14. Sicut enim respiratio continua est necessaria ad vitam corporis; ita oratio ad vitam spiritualem animæ. [Chrys. hom. 23. in Matth.] Ij tamen, qui ratione regulæ, seu voti, vel alterius obligationis præscriptum habent tempus orationis, illud compleant, & sic semper orabūt,

Oratio quomodo sit cōtinua.

& non

& non deficient; dum scilicet suo tempore sine intermissione orant, & benè agere numquam per reliquum tempus cessant; [vt Aug. in Ps.34. Orig. hom. vnica in lib. Regum, Chrys. in Ps. 140. 148. & 150.]

7 Orationi, & attentè, & deuotè vacandũ; ita vt orans attendat saltem virtualiter ad verba, vel ad eorum sensum, vel ad finem orationis, hoc est Deum, idq. præsertim in oratione vocali; qua de re consule Doctores. Illud solum admoneo; quod cum effectus orationis sit mereri, impetrare, & mentem spiritualiter reficere; quamuis mente distractus orans possit mereri, & impetrare, si sit in gratia; tamen mentis refectionem, & consolationes vix habebit, qui in mentis vagatione cohibenda est valdè negligens, & maximè in oratione mentali; vt experientia compertum est, & Patres docent.

Attentè, & deuotè orandum.

8 Ad attentionem autem orationis, & maximè mentalis, hæc quatuor iuuant. Primum præparatio, ne sit sicut is, *qui tentat Deum:* Eccl.18. Hæc autem est duplex, vna remota, altera propinqua. Remota consistit in tollendis impedimentis, quæ sunt peccata. [Bernard. serm.5. de Assumpt. B. Virg. Greg. lib. 10. Mor. c. 17. & 18. Cassian. collat. 20. cap. *6.* Hugo Victor. de claustro animæ cap.*6.*] Non tamen arcetur peccator ab oratione; vt D. Thom. q.83. ar. 1*6.* Item in mortificatione passionum, & sensuum. [Amb. lib.5. in Lucam c.*6.* Basil. Const. monast. c.5. & in exhortat. ad baptis. Cassian. collat. *9.* cap.3.] Denique in re-

Ad attentionem confert. 1. Præparatio remota. Remouendo peccata.

Passiones.

Distractiones. remotione distractionum, quæ oriri solent ex solicitudine terrenorum, & negotijs. [Greg. lib.5. Mor.cap.22. & lib.10.cap.17.& lib.16. c.19.Cassian.collat.9.c.3. & collat.10.c.9. & 13. Cypr. de orat. dominic. Basil. Const. Monast. cap.2.] Atque hinc oritur solitudo cordis, quæ magis necessaria est ad bene orandum, quàm solitudo corporis; [vt Greg.lib 30. Mor.c.12.] Propterea Dominus Matt.6. *Cũ oraueris*, inquit, *intra in cubiculum tuũ, & clauso ostio ora patrem tuum,* & Dauid 2.Reg.7. ait, *Inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret*; quod obseruat Aug.super Psal.85. Et propterea conqueritur in Psal. 39. dicens, *Cor meum dereliquit me*; quia nimirum *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Matt.6. Altera præparatio est proxima, quæ est lectio sacra; [vt Bernar. serm. 50. ad soror. de modo bene viuendi:] Item sistere se coram Deo, eum desiderando; [vt Aug.lib.2.de ser. Dom.cap.3.] & ad illũ mentem erigendo; [vt Bernar. de quat. mod. orandi:] Non tamen licet imaginari Deum esse corporeum; quia *Deus spiritus est:* sed supra omnia creata ascendendum ad eum, qui fecit omnia, & replet cœlum, & terram, & quasi in excelso throno beatos beat, ac veluti sol suæ claritatis radijs omnes illustrat. [Lege Cassia. collat. 7.c.13. & D.Aug. l. de essentia diuinit. tom.4.] Iuuat præterea, vt quisque intra seipsum imaginetur esse Deum; quia iustus est templum Dei. 1.Cor.3. [Aug. l.2. de ser. Dom. in monte c.6. & l.1. de doctr.Christ. c.10.] Christi denique personam imaginari facile est; *in*

Confert solitudo.

2. Præparatio propinqua; Lectio sacra.

Diuinæ præsentiæ consideratio. *Ioan.4.*

quem

quem desiderant Angeli prospicere, 1.Pet.1. & *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, ad Coloss.2. Qui etiam sacramentaliter modo ineffabili præsens est in Eucharistia; cuius diuina eius pietas tantam fecit nobis copiam. Tertiò, proderit in oratione exercere intellectum: quia oratio est inquisitio supernorum, [vt Aug. ser.230.de temp. & Rich. de S. Vict. l.3. de contemplat.] Non tamen in speculatione sistendum; sed omnis meditatio ad affectum trahenda: hic est enim omnis orationis fructus, vt afficiatur voluntas ad diuina: Non enim valet solùm ad impetrandum, sed etiam ad efficiendum homines spirituales, & deuotos; [vt docet Chrysost. hom. penult. ad pop. & l.1. de orando Deo, & super Psal.129.] Reddit præterea oratio homines humiles, & contritos ex memoria peccatorum, ad quam in oratione reuocatur animus; [vt Chrysost. hom.19. in Matth.] Neque id mirum, quoniam *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est* cum eo; & sicut qui assiduè versatur cum sapiente, fit sapiens; ita qui habet consuetudinem cum Deo sapientissimo, & ditissimo, fit sapiens, & diues, [Chrys. in Psal.4. & hom.30. in Gen.] Quare meritò ex orationis studio conijci potest quantum quisque in via Dei sit profecturus, vel profecerit, & item quàm sit à virtute alienus; [vt Chrys. l.1. de orando Deo; simile Cassian. collat.9. c.1.] Hinc Act.9. Dominus, vt Ananiæ suaderet Saulum esse conuersum, dixit, *Ecce enim orat*; quasi diceret, orationi vacare sit tibi salutis signum, nam, *Ei quem Deus vult*

3. Exercēdus intellect⁹.

Ad affectū meditatio trahenda.

1. Cor. 6.

saluare, dat etiam orare; vt Aug. in Psal. 65.

Orãdum cum gemitu. Verùm vt ad propositum reuertar, orationē maximè consistere in affectu patet ex August. epist. 121. ad Probam, cum ait, orationem consistere in gemitibus. Idem D. Tho. q. 83. ar. 14. & Chrys. hom. 9. in epist. ad Coloss. docet corde contrito in oratione clamandum ad Deum: *Infra tr. 3. c. 4.* Hinc Isa. 38. *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo*: vel sicut infantes ad matrem, quæ obliuisci non potest fœtus vteri sui. Isaiæ 49. Quartò, ex his constat in oratione procurandam esse deuotionem; [vt Chrysost. hom. 9. in Gen. D. Thom. q. 83. art. 2.] 4. Procurãda deuotio. Est autem deuotio duplex; vna sensibilis, quæ consistit in dulcedine, & suauitate sensibili spiritus, quæ sciri potest, exprimi non potest: & hæc incipientibus est necessaria, [vt Laur. Iustin. lib. de discipl. & perfect. monast. conuers. c. 8.] *Sup. c. 5.* Altera est, quæ reddit animam promptam, & firmam in Dei obsequio: & vtraque vtilis est, & procurãda; sed posterior magis. Nõ sistēdum in sensibili gustu. Non enim sistendum est in gustu sensibili; sed hic ad opus est referendus: & ita prementur vbera, quæ dabunt lac; vt Bernar. serm. 9. in Cant. Oratio autē est via, & compendium ad consequendam deuotionē; [vt D. Bonau. lib. de myst. Theol. q. vlt.] hinc Psal. 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Nõ cessandum pp ariditatē. Quocirca propter mentis ariditatem nunquam debet Dei amator ab oratione desistere, sed animose prosequi; quia magnum præmium est id pati amore Christi; vt suadebat Macarius: *Sup tr. 1. in princ.* Propterea Chrys. l. de cõpunct. cord. *Nescis*, inquit, *quam bonum sit placere Deo*,

Deo; quia si scires, aliud pramium non quæreres. Quintò, iuuat plurimum statuere, ac determinare puncta meditanda, ne detur vagationi occasio: Hæc autem esse possunt diuina attributa, beneficia, Christi Domini mysteria, vita, passio eiusdem, quatuor nouissima, peccata, & similia. Mouet autem in primis scriptura diuina: [vt Bernar. serm. 67. in Cant.] Eius enim dulcedo tunc maximè percipitur, cum frangitur consideratione, vt accidit in nucis gustu. [Orig. hom. 9. in Num.] Item quia eius sententiæ sunt herbæ medicinales; [vt Orig. ibid. hom. 8. & Chrys. hom. 29. in Gen.] hæ autem sanant, cum in corde reconduntur. Præterea quoniam scriptura est epistola à Deo hominibus missa; in qua dat monita salutis; [vt Chrys. serm. de ieiun.] eaque intelligitur oratione; [Cassian. l. 5. c. 33. & 34.] quapropter Chrys. hom. 2 in Gen. assimilat thesauro, & flumini. *Beatus* igitur *vir, qui in lege Domini meditatur die, ac nocte*. Sextò confert plurimum humilitas, exemplo Abraham. Gen. 18. *Loquar,* inquit, *ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis*; & Salomonis, qui vtroque genu flexo orauit. 3. Reg. 8. quia nimirum *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit*. Eccl. 35. Quare illi ascendunt ad contemplationem, qui se humiliant; Hinc Dauid Psal. 83. *Ascensiones,* inquit, *in corde suo disposuit in valle lachrymarum*; [vt obseruat Greg. l. 30. Moral. cap. 28.] Septimò, auide preterea meditandum, vt adsit sponsus, [vt Bernar. serm. 32 in Cant. Cassiod. in Psalm. 135.

5. Præfigere certa pūcta. Quę meditanda.

Psal. 1.

6. Humiliatio sui ipsius.

7. Auide meditandum.

Ora-

8 Variandus situs. Octauò, Prodest denique variare situm in oratione: aliquando enim genibus flexis orandum, interdum stando brachijs extensis, vel sedendo in humili subsellio, vt Patres solebant, [& refert Cassian. l.2. Instit.c.11.& 12. Nauar. de horis canon. c.4.n.13.]

Oratio meritoria & impetratoria. 9 Oratio præter consolationem spiritualē, quam affert menti, habet vim merendi, & impetrandi: quatenus proficiscitur ex charitate, & religione, comite fide, & humilitate; [vt D. Thom. q.83. art.15.] Aduertendum est tamen pro intelligentia, orationem esse posse viuam, mortuam, & mortificatam. Viua est, quæ fit à iusto; & hæc est meritoria, & satisfactoria, & etiam impetratoria: infallibiliter quidem cū quis piè, & perseueranter spiritualia pro se petit: nam quando petit pro alio non semper impetrat. [D. Thom. art.15.] Oratio autem mortua, idest, facta in peccato, non est meritoria gratiæ, nec gloriæ; impetrat tamen de congruo, vt Publicanus, Luc.16. & alij multi. [Lege Chrys. hom. 5. in Matth.] At verò minister, qui orat nomine Ecclesiæ, exauditur quidem; non tamen proprio nomine, sed Ecclesiæ. Mortifera denique oratio nihil horum habet, cùm sit peccatum; sed impropriè, & permissiuè dicitur impetrare; [vt D. Tho. ar.16. Gabr. in canonem lect.63. Palud. d. 15. q.5. concl.4. Nau. de orat. cap.20. n.76.] sic 1. Reg. 8. Hebræi impetrant regem, & Exod 16. carnes: permittit enim Deus homines in peccata ruere in pœnam aliorum peccatorum, &c. Sed his omissis consideremus alios effectus spiritua-

Orationis effectus.

tuales orationis, qui fere ex dictis colligũtur. Nam primum habet mirã cum virtutibus con nexionem: vt enim virtutum progressus pendet ab oratione, ita oratio ab illo; vt Cassian. collat. 9. cap. 1. & elicitur ex Chrysost. lib. 1. de orando Deo. Secundò eleuat animam ad Deum; ita vt terrenis contemptis quærat cœlestia: immò quo altius tollitur, eo minora ei videntur terrena, ac viliora; vt Chrys. hom. 15. ad pop. &, sicut auis in sublime lata, terræ laqueos euadit; vt Macar. hom. 30. Hinc dicitur *Ascensus animæ de terrestribus ad cœlestia*; August. 230. ser. de temp. item *ascensio mentis in Deum*; vt Damasc. l. 3. de orthod. fide c. 24. vel *colloquium cum Deo*, vt Chrys. hom. 30. in Gen. item *conuersatio, vel sermocinatio cũ Deo*; vt Greg. Nyss. orat. 1. lib. de orat. Domin. Tertiò, oratio assidua, & feruens cor nostrum serenat, & purgat, ac capacius reddit ad munera diuina recipienda; [vt Aug. lib. 2. de ser. Domini in monte c. 7.] frænat hominem. Isa. 48. D. Tho. q. 91. Quartò, efficit homines Deo familiares; [vt Greg. l. 10. Mor. c. 11. seu. 16.] ex qua familiaritate diuina quanta bona proueniant, suprà §. 8. exposui ex Chrys.

1 Virtutes comparat.

2 Eleuat animam.

3 Mentẽ serenat.

4 Facit Deo familiarẽ.

10 Ad extremũ ex dictis intelligitur, quanta sit orationis præstantia, quanta vis, ac quantum in ea sit momentum ad omnem virtutem, & perfectionem Christianam comparandam. Atque maximæ laudis loco sit, quod *Deus solus docere potuit, vt se vellet orari*, vt Tertull. lib. de oratione cap. 9. quasi dicat, cum nemo potuerit excogitare rationem, ac modum, quo

Solus Deus docet orare.

Deus

Deus oratione flecti possit, ipsemet Deus docuit quomodo orari vellet; tanta est in eo beneficentia, tanta pietas. Quod cum rectè Apostoli intelligerent, Magistrum vitæ rogarunt dicentes, *Magister doce nos orare*; quibus ille, *Cum oratis*, inquit, *dicite*; *Pater noster, qui es in cœlis*, &c. Diuina igitur institutione formati, hanc dominicam orationem Deo Patri deuotè offeramus: nam *Filij dilecti deprecationem agnoscens, nunquam frustrà sibi à nobis eam offerri patietur*. [Cypr. lib. de orat. dominic. initio.]

De Pietate, & Obseruantia. Cap. XIV.

Pietatis definitio & obiectum.

1 Pietas est *Virtus, qua debitum cultum exhibemus parentibus, & patriæ*; nam quod sumus, & quod regimur, & gubernamur, primum Deo, omnium principio, secundo illis debemus. Propterea inter præcepta diuina numeratur. Exod. 20. & Eccl. 3. Sub cultu autem parentum includitur cultus omnium consanguineorum: cultus verò patriæ comprehendit cultum conciuium, & amicorũ: Adde etiam Patres spirituales: [vt Chrysost. hom. 15. de recipiendo Seueriano, & lib. vno contra gent. tom 5. lege Catechis. Rom. & alios.]

Exhibet officiũ, & cultũ.

2 Exhibet autem pietas officium, & cultũ; officium refertur ad obsequium, & sustentationem in necessitate; cultus ad reuerentiam, & honorem. Sic tamen deberi illis intelligitur dictum officium, vt non impediat cultum

Dei;

Dei, quantum fieri rationabiliter poteſt, [vt Hieron.in epiſt.ad Heliodor. Cyril.in Lucam, c.9. D.Thom.2.2.q 101.] Plura de pietate, lege apud Chryſ. ſerm. de Abſalon patrem perſequente. Ambr.5.Exam.cap.16. De pietate verò erga Deum. Greg.hom.37. in Euang. Ambroſ.in Luc.9. & 12. Chryſoſt. hom.84. in Ioan.] Auctores.

3 Sicut ſub religione pietas, ita ſub pietate comprehenditur obſeruantia: per quam cultus, & honor exhibetur perſonis in dignitate conſtitutis; quia ſunt nobis ſicut principium gubernationis reſpectu aliquarum rerum: & propterea Patres quodammodo appellantur, propter ſimilitudinem curæ; ſimiliter Magiſtri reſpectu diſcipulorum, &c. Quocirca ratione excellentiæ debetur eis honor; ratione officij debetur cultus, qui in obſequio conſiſtit; dum ſcilicet homo ipſorum obſequitur imperio, & vicem beneficijs pro virili rependit. Hinc D. Petrus ep.1. c.2. obedire iubet dominis, etiam diſcolis, & D.Paulus Prælatis, 1.ad Theſſ.5.[vt Chryſ.notat hom.10.in ep.1. ad Theſſ.& hom.2.in 2.ad Tim.] Obſeruãtia q̃bus debetur.

De Obedientia. Cap. XV.

1 OBedientia eſt *Virtus moralis, promptam reddens voluntatem ad implendam voluntatem præcipientis.* Sumitur autem eius ratio ex ordinatione Dei, qui ſtatuit, vt inferiora mouerentur à ſuperioribus: cum igitur Deus ſit primus motor, ei in omnibus obedire tene- Obedientia quid.

tenemur; superioribus verò in ijs tantum, in quibus eis subdimur. [D.Tho.2.2.q.104.]

Eius præstantia. 1. Ex arduitate. 2 Huius virtutis præstantia sumitur ex nobilissima animæ parte, quam homo contemnit, vt Deo inhæreat, nempe voluntatem: & propterea est magnæ præstantiæ, & victimis præfertur, 1.Reg. 15. [vt notauit Greg. lib.vlt. Mor.c.12.] 2. Quia est ad virtutes via. Deinde quoniam est tuta, & recta via ad virtutem; ideoq. dicitur custos virtutum. [Greg.l.35.Mor.c.12. Aug.lib.14. de Ciu.c.12. 3. Vincit inimicos Tertiò, quia victoriam parit contra dæmones, & contra vitia. Prou. 21. *Vir obediens loquetur victorias.* [Greg.in lib.4. in 1.Reg.c.4.] & præsertim cōtra libidinem; nam obediens facile eam vincit, [vt Aug. in Ps. 141. 4. Ob exemplū Christi. Bern.serm.1. in festo omn. Sanct.] Quartò, propter exemplum Christi, qui *factus est obediens vsque ad mortem*, ad Phil. 2. vt exponit Bern. [de grad.hum. c.2. & in lib. ad milites templi c.13.] *Ne*, inquit, *obedientiam* 5. Ob meritum. *perderet, perdidit vitam*. Quintò, quoniam est magni meriti, [vt Greg.lib.6. in 1.Reg. c. 2. Basil.Const. monast. c.23. D.Thom. q. 186. art.5.ad 5.] Quare opera etiam parui momenti, cum ex obedientia fiunt, sunt magni meriti. [Cassian. lib.4. c.24. & seq.] & vt maiorem quis vincit difficultatem, ita plus meretur; nempe inferendo vim propriæ voluntati, & captiuando intellectum, vt infrà dicam.

Primus grad⁹ in executione. 3 Sunt autem tres præcipui obedientiæ gradus; Primus est exequi mandata, quæ aliquando difficilia sunt; atque adeo, vt humano sensui quasi impossibilia videantur; [de quibus

Cas-

Caſſian. lib.4. Inſtit. cap 10.& 26.] aliquando contra ſanitatem corporis, & tamen implenda; vt Clim.grad.4.

4 Veruntamen nulla ratione licet exequi iuſſa, cum ſunt peccata; [vt Baſil Conſt. monaſt.c.23. Bern. l. de præcept.& diſp D.Thom. art.5. & alij omnes:] Melius eſt tamen cogitare, tentandi cauſa illa imponi; vt Climac. grad.4. & ſic exponi poſſunt exempla, quæ refert Caſſ.l.4. c.27. quæ tamen non ſunt imitanda. Cùm verò non ſunt manifeſta peccata, obedire externa executione laudabile eſt. Secundus verò gradus eſt præſtantior; cùm ſcilicet obediens contra ſuam voluntatem obedit, eam inclinando, & quaſi vniendo cum voluntate ſuperioris; quod ſatis arduum eſt; [vt Baſil. ſerm. de abdicat. rerum. Greg. l.4 in l.1.Reg. c.2. vbi anteponit ieiunijs; & l.35. Mor. c.12. D.Thom.2.2. q.186. art.8.] & præſertim quia aliquando, quantum in ſe eſt, nollet implere, [vt D.Tho. ead.q. art.5. ad 5.] hinc Prou.26. *Qui dominatur animo ſuo fortior eſt expugnatore vrbium*, & Clim grad.4 vocat *Mortem ſpōtaneam, & ſepulcrum voluntatis*. Adde quod interdum vincere oportet affectus naturales, eoſque frænare propter obedientiam; quod difficillimum eſt; [vt Chryſ hom.3.in 2. ad Cor. & hom.42.in Gen.] Tertius gradus obedientiæ perfectiſſimus eſt, cum homo etiam intellectum captiuat in obſequium ſuperioris; de quo 2.ad Cor.10.& Baſil. Conſt.monaſt. c.20. & 23. Hieron.in ep.ad Ruſtic. *Credas*, inquit, *ſalutare quicquid Præpoſitus præcipit, nec de*

Non tñ in malis

Secũdus in voluntate.

Tertius in intellectu.

ma-

maiorum sententia iudices. [idem Cassi.lib. 4. Instit.c.10. & 41. Greg.lib.2.in 1. Reg. cap.2. Bern.de præcept.& dispens.c.13.Bon.in speculo discipl.p.2.cap.3.] Hinc dicitur *Obedientia cæca*; Clim.gradu 4. & Bern. in serm.de conuers. S. Pauli. Qui etiam vocat *simplicem*, ser. ad fratres de mõte Dei, & serm.de S.Andrea. & Chrys.hom.16. & 31. in Gen.vbi propterea laudat insigniter Abraham. Hinc oritur maxima delectatio in obediendo: qui enim seipsum exinanit, vt impleatur Deo, non remanet vacuus, sed Deo plenus, [Lege Bern.serm.de obed.Basil.Const.monast.c.23] Secundò, hinc oritur magna promptitudo exterior in obediendo; vt Bern. in serm.de virt.obed.Tertiò, simplicitas animi. Greg.lib.2.in 1. Reg. cap.2. Quartò, silentium externũ. Hier.in ep.ad Rust. Quintò, in rebus omnibus eadem facies, sicut mortui: & item vt se contrectari sinat, sicut instrumentum à fabro. Basil.Const. monast. c. 23. Sextò denique affectus ferendi conuitia, seu iniurias in imperio; vt Clim. grad. 4. refert de Acatio, & Ioanne Patriarcha, de Ioan. Damasceno. [Lege plura apud Doroth. serm. 1. Rossign.lib.4. cap.24.]

Obedientia cæca seu simplex.

Eius fructus.

De Gratitudine. Cap. XVI.

Gratitudo quid. Eius obiectum.

GRatitudo, seu Gratia est *Virtus, qua benefactoribus gratiam compensat.* Versatur igitur proprie erga particulares benefactores pro beneficijs priuatis: nam gratitudo, quæ est erga Deum, pertinet ad religionem; quæ verò

rò eſt erga parentes, & patriam, ad pietatem; quæ denique eſt erga ſuperiores, ad obſeruantiam ſpectat; de quibus ſupra.

2 Eſſe autem de iure naturæ ſatis conſtat; quia Benefactor habet rationem principij: & cum gratis beneficium contulerit, affectus eſt attendendus, non donum: & propterea plus reddi debet, quàm ſit acceptum; qui enim reddit æquale, non videtur gratis dare, ſed reddere quod accepit: ſecus tamen in compenſatione iuſtitiæ, vel amicitiæ. D.Tho.2.2.q.106. Eſt de iure naturæ.

3 Vt autem laudabilis, atque vtilis eſt grati animi ſignificatio, ita ingrati animi nota eſt deteſtabilis, & perinitioſa; nam, vt ait Ber. eſt *Ventus vrens, ſiccans fontem pietatis, & fluenta gratiæ*; & alibi, *Ingratitudo*, inquit, *peremptoria res eſt, & hoſtis gratiæ.* Atqui Deo bonorum omnium auctori eo magis odibilis, quo maiora extant eius ergà homines beneficia; eaque gratis, immo verò indignis collata. Quapropter Ambr. *Si gratiam*, inquit, *homini non referre ſimile homicidio eſt; quantum crimen eſt Deo non referre?* Hinc Philoſophus quidã ait, *Ingrato homine nihil peius terra creat*; & alius, *Maximum omnium vitiorum ſignum eſt ingratitudo.* [Lege plura apud Chryſ. hom. 27. in Gen. & hom.27. in Matth.72. ad pop. & hom.2. in epiſt. ad Rom. & hom.2. in epiſt. ad Epheſ. & Senecam de benefic.] Ingratitudinis deteſtatio.

De Veritate. *Cap. XVII.*

1 VEritas (de qua hic eſt ſermo) eſt *Habitus moralis, qui facit hominem veracem* Veritas quid.

cem: hoc est, quo aliquis, & vita, & sermone talem se demonstrat, qualis est; & non alia, quàm quæ circa ipsum sunt, nec maiora, nec minora ostendit. Quare differt á veritate vitæ, á veritate iustitiæ, & à veritate doctrinæ; [vt D.Thom.q.109.art.3.ad 3.] Hanc Greg. vocat puritatem lib.8. Mor.c.38. Aug. simplicitatem, tract.7. in Ioan. propterea Iacob dicitur *vir simplex*, Gen. 25. & Iob *simplex & rectus*: Iob c.1. at Latini dicerent veracem: Qui autem est talis, vix potest sibi persuadere esse aliquē qui decipiat; iuxta illud Prou. 14. *Innocens credit omni verbo.* [Ambr.lib.3. Offic.cap.10.]

Quotuplex.

Deo, & hominibus grata.

2 Hæc virtus maximè Deo placet; qui veritas est; Ioan.14. ideoque abominatur mendacium. Prou.12. & mendax è cœlo pellitur. Prou.12.& 22. Est item hominibus gratissima hæc veritas; vt contra est illis exosa fraus: Psal.5.& 54. Amb.3.Offic.cap.9. Confirmatur exemplo Eleazari. 2. Machab c.6.

Vitia ei opposita. *Sup tr.1. c.13.*

3 Huic igitur veritati opponitur Mendacium, Hypocrisis, & Iactantia; [de quibus D. Thom. q.110. & seq. Lege etiam Aug. l. contra mendacium; Item contra hypocrisim, Greg. l.8.Mor c.38. & l.10. c.17 seu.28. & Past.p 3. adm.36. Chrys. hom.17. ad Eph. Beda l.4. in Luc.c.12.] Contra iactantiam Greg.l.21.Mor. c.11. *Qui se*, inquit, *laudant, quasi per ostium extra se exeunt*: similia 23.Mor. c.9.

Ironia vitiosa.

Ironia verò opponitur iactantiæ; *Qua negat homo in se bona, quæ insunt, vel tribuit sibi vilia, quæ non habet*; quod culpa non vacat, & id spe-

ſpectat ad ironiam: [D.Tho.q.113.] At verò ſi maiora taceat ſine mendacio, & minora ſolum fateatur, eſt actus veritatis, & prudentiæ; nam de ſe ample loqui moleſtum eſt; [vt Ariſtoteles 4. Ethic.c.7.D.Thom.q.110.ar.2.]

4. Confert autem ad hanc virtutem conſequendam, rem, vt ſe habet, enunciare, ſine amplificatione, vel iuramento iuxta Domini conſilium, dicendo, *Eſt eſt, Non non.* Proprias item laudes ſilere: & in primis vitare æquiuocationes: niſi enim neceſſitas cogat, ſimulatè loqui contrà ſimplicitatem eſt, idque præſertim cum ſuperiore. Adde quod ei, qui interrogatur ordine iuris ſeruato, nulla ratione licet æquiuocare, iuxta communem Doctorum ſententiam. Cum verò quis non poteſt ſine ſcandalo, vel damno, nec tenetur alias veritatem fateri, poteſt licite æquiuocare; id tamen caute, & prudenter fiat. Verum de his conſule Theologos. Quæ ad veritatē cōſequēdam conferant. *Matt.5.* Aequiuocationes vitandæ.

De amicitia, ſeu affabilitate. *Cap. XVIII.*

1 Amicitia eſt *Virtus, qua homo conuenienter ad alios homines ordinatur in communi conuerſatione, tam in factis, quam in dictis*: ita ſcilicet, vt ad vnumquemque ſe habeat, ſicut decet: Hinc dicitur Eccleſ. 5. *Congregationi pauperum affabilem te facito*; & Chriſtus Dominus Ioan. 15. diſcipulos vocat amicos: item Luc. 16. *Facite*, inquit, *vobis amicos, &c.* Amicitia quid. *D.Tho.2.2.q 114.*

Quomodo sit pars iustitiæ.

2 Est autem pars iustitiæ, quatenus est ad alterum: non tamen perfecta; quoniam nullã includit rationem debiti legalis, sed tantum honestatis, quo decet delectabiliter cum alijs viuere: honestè tamen, & non cum lasciuia; hanc enim virtus abhorret; & propterea ait Sapiens Eccl. 7. *Cor stultorum est vbi lætitia*. De honesta verò dicitur Psal. 132. *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum*.

Amicus in qbus contristãdus.

3 Hinc sequitur, non esse contra leges amicitiæ, immò verò esse proprium illius, contristare scilicet aliquando amicos propter bonũ; nimirum ad correptionem, vt Apostolus 2. Cor. 7. contristauit suos ad pœnitentiam: Item ad vitandum malum; non enim debemus hilarem vultum ostendere ijs, qui proni sunt ad malum; ne videamur eorum peccatis consentire, Eccles. 7. [Lege Ambr. 3. Offic. c. 16. Cassian. collat. 16. Arist. 4. Ethic. 6.]

Christianæ, & mũdanæ amicitiæ discrimen.

4 Christiana amicitia multum differt à mundana: Illa enim nititur vinculo charitatis, & spiritus, atque cum virtute coniuncta est: [vt Chrysost. hom. 2. in ep. ad Rom. & hom. 1. in epist. ad Coloss. & hom. 25. in Matt. Ambr. lib. 3. Offic. c. 16.] Mundana, seu naturalis mouetur affectu naturali; nam *Omne animal diligit simile sibi*, & suo commodo studet. [Basil. Const. monast. c. 4.] Chrys. hom. 25. in Matth. *Mendax*, inquit, *est omnis amicitia, quæ diuino non ligatur timore*. [Bonau. lib. de processu relig. tract. 6. cap. 15. Anton. p. 4. tit. 5. cap. 20.]

Eccl. 13.

Hinc

5 Hinc efficitur, vt *sincerè diligere sit multus labor*; vt ait Chrysost. *& difficile sit verum amicum reperire*; Ideo monet iuuenes Basil. serm. de abdicat.rerum; vt *fugiant consuetudinem æqualium, tamquam ardentissimam flãmam, &c.* & Constit. monast. cap.4. prohibet singularem amorem; & Lauren. Iustin. lib.de perfect. monast. c.22. similiter Bonau. opusc. de purit.consc. cap.14. dicit affectionem erga personam, quæ videtur spiritualis, esse magis periculosam; nam principium videtur esse purum, sed malum occultum: & Basil.lib.de vera virgin. docet amorem naturalem sæpe transire in carnalem. Item Hieronym. in epist. 2. *Munuscula, literulas, &c. sanctus amor non habet.* [Lege quæ nos supra lib.1.tr.2. c.19.§. 6. & tract.3.c.11.§.4.] Vera amicitia rara.

6 Amicitiæ denique opponitur adulatio, & litigium. [de quibus D.Thom.q.115.& seq.] Amicitię opponitur Adulatio.

Adulatio est *Laudatio extra modum virtutis exhibita*: seu est, *Complacentia verbis, vel factis in communi conuersatione, non seruatis debitis circunstantijs*: quæ descriptio, vt planior fiat, statuo posse aliquem laudari duobus modis: Primum rectè, vt cum aliquis laudat amicum, ne deficiat in tribulationibus, vel vt studeat in virtute proficere, seruatis debitis circumstantijs; & hic est actus virtutis amicitiæ: Secundo cum quis laudat in ijs, quæ mala sunt, vel de bonis incertis, aut cum periculo vanæ gloriæ; & hoc adulari est. Similiter cum quis alijs placere studet ad conseruandam charitatem, vel vt spiritualiter cũ Adulatio quid. *Eccl.* 11.

eis proficiat, est laudabile: cum verò studet placere propter vanam gloriam, vel propter lucrum, vel in actu malo, vitiosum est; *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent*. Psal. 52. Hinc Apostolus ad Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* [Lege D.Thom.art.1. Aduersus adulatores Greg. Past. p.2. c.8. & 10. & lib.18. Mor.c.4. & lib.31.cap.12.Aug.lib.10. Conf.c.37.]

Litigiú amicitiæ contrarium.

Litigium verò est, quo quis verbis alterius contradicit, quia scilicet illum contristare non veretur; & talis dicitur dyscolus, vel litigiosus: & hoc vitium opponitur amicitiæ, vel affabilitati ex Arist. l.4.Ethic.c.6. Cùm verò quis contradicit alteri propter defectum amoris, pertinet ad discordiam charitati contrariã. [D.Tho.q.116. Lege contra contentiones Iac.3. & 1.Cor.3. & ad Gal.5. ad Rom.13.]

De Epijcia. *Cap.* X I X.

Epijcia quid, & eius munus.

EPijcia, seu æquitas est *Virtus, qua prætermissis verbis legis, homo sequitur quod poscit iustitiæ ratio, & communis vtilitas*: Cùm enim actus humani, quibus imponuntur leges, consistant in singularibus contingentibus, quæ infinitis modis variari possunt, non potuit dari regula, quæ in nullo casu deficeret: propterea legislatores attendunt ad id, quod vt plurimum accidit: vt patet in lege de reddendo deposito, & similibus; in quibus aliquando malum est sequi legem, & bonum sequi Epijciam,

ciam, quam Latini appellant æquitatem: quæ est pars iustitiæ, & prior iustitia legali; hæc etenim per illam dirigitur, tamquam per superiorem regulam humanorum actuum; [vt Arist. 5. Ethic. c. 10. D. Thom. 2. 2. q. 120.]

De Fortitudine. Cap. XX.

1 FOrtitudo est *Virtus, qua homo labores, ac mortis pericula constanter suscipit, & perfert*. Cum etenim duo impediant voluntatem hominis, ne sequatur rectam rationem, delectabile scilicet, & difficultas, primum aufert temperantia, secundum fortitudo: quæ est virtus cardinalis, cuius duo sunt munera; vnum est sustinere, & pati, alterum aggredi difficilia. Fortitudinis definitio, ac munus.

2 Hinc alij effectus sequuntur: nam temperat primum dolorem, & timorem, [vt August. q. 36. lib. 83. qq.] & animo dat magnam fiduciam. Secundo reddit hominem constantem, & firmum in actionibus bonis. [Ambr. lib. 1. Offic. c. 35. & 39. Prosper lib. 3. de Vita contempl. c. 20. Arist. 2. Ethic. c 4. D. Thom. q. 123. art. 2. & 6.] Tertiò in laboribus, & doloribus affert delectationem. [Aug. lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 10.] Hinc Eleazar mortem contemnit. 2. Machab. c. 6. Apostoli item *ibant gaudentes* ad passiones. Act. 5. & D. Paulus ad Coloss. 3. & alij sancti Dei. Eius effectus.

3 Ad eam consequendam iuuat, animumq. excitat, Primum exemplum Christi, & Sanctorũ. Bern. ser. 62. in Cant. nã *Fortes facti sunt in* Quæ iuuent ad illam.

 bello;

bello; vt ad Hebr. 11. Secundò Sacra Scriptura, Psal. 30. *Viriliter agite*; & 1. Cor. 15. *Stabiles estote*, &c. Tertiò, meritum, & præmium, Rom. 5. *Spes autem non confundit*; de quo infra, tr. 3. c. vlt. Quartò, optare pro Christo pati; quia hoc ipsum est quodammodo martyriū. Chrys. in Psalm. Quintò, præmeditari imminentia pericula, & labores, seque ad illa ferenda parare; sic enim minus feriunt; [vt Gregor. hom. 35. in Euang.] Sextò, quòd sine fortitudine nec virtutem vllam consequi, nec in bono perseuerare quisquam potest. Partes autem eius sunt Magnanimitas, Patientia, Perseuerantia, de quibus deinceps dicendum. De vitijs vero oppositis fortitudini, idest de timore, & audacia, lege D. Thom. q. 125. & 127.

Eius partes.

De Magnanimitate. *Cap.* XXI.

Magnanimitas quid.

1 MAgnanimitas Christiana est *Virtus, qua homo occupatur in rebus honore dignis*: honorem autem per seipsum non quærit; nec honorem humanum magni facit; sed eum, quem Deus virtuti tribuit; quem Patres vocant honorem æternorum. [Greg. l. 5. Mor. c. 34. Chrys. hom. 48. in Acta. Hieron. lib. 1. in Lament. Hierem. c. 3. Bas. in orat. ad Iuuenes. Bonau. sup. Gen. de luminaribus Eccles. ser. 5. D. Thom. 2. 2. q. 129. ar. 1. & 2. ad 3.]

Eius effectus.

2 Effectus igitur fortitudinis: Primus est magna audere ad Dei gloriam, & propter beatitudinem, honore humano contempto. [Aug. l. 5. de Ciu. c. 17. Greg. l. 3. in 1. Reg. cap. 7.]

Se-

Secundus desiderare in dies maiora pati pro Dei gloria; vt Apost. 2.Cor.12. *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris*; [& Chrys. hom.48. in Act. Bern. serm.32. in Cant.] Tertius est gaudere in tribulationibus, 2.Cor.6. & 7. Rom.5. Quartus, gloriam, & honorem humanum fugere. [Aug. lib.19 de Ciuit.c.19.] Sola necessitate honores acceptare, & quasi onera sustinere. [Greg.lib 5. Mor.cap.1. & 2.] propterea quod verus honor virtus animi est, [vt Chrys. hom. 59. in Matth. & hom.23. ad pop. & alibi.]

3 Iuuat ad hanc virtutem consequendam considerare, hominem ad magna esse creatum; nimirum ad æternam gloriam, & ad fruendū ipso Deo, qui *magnus est, & laudabilis nimis*. Psal.47. [Aug.lib.14 de Trin.cap.8.] Item quod in domo illa Dei *mansiones multæ sunt*; & quo maiora quis molitus fuerit propter Deum, eo erit beatior. Ad hæc Dei in nos benignitatē, & liberalitatem assidue meditari; nā *magna & pretiosa nobis donauit*. 2. Pet. 1. nempe gratiam, dona Spiritus sancti, virtutes infusas, aliaque auxilia; vt per hæc *diuinæ consortes naturæ* effecti magna, promissaque consequeremur præmia; *fidelis* autem *est, qui vocauit vos, qui etiam faciet*. 1.ad Thess.5. Item *diues in omnes qui inuocant illum*; ad Rom.10. [Lege D. Leonem de natiu.Dom. ser.1.& seq.] Quomodo acquiratur.

4 Huic virtuti contraria sunt præsumptio, ambitio, inanis gloria, pusillanimitas; de quibus supra dixi. Eius contraria.

Ad

Magnificentia, pars ei9. Ad Magnificentiam vero, quæ est etiam pars fortitudinis, pertinet facere aliquod magnum opus, considerata regula rationis, quam non excedit, nec ab ea deficit: cumque ad id requirantur proportionati sumptus, & pecunia, quæ sunt materia huius virtutis, magnificentia moderatur amorem pecuniæ, ne moderati sumptus impediantur; vt D.Thom.q.134.

De Patientia. Cap. XXII.

Patiētia quid. 1 Patientia hominis est, *qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per qua ad meliora perueniamus*; [vt Aug. lib.de patientia.c.2. & D.Tho. 2. 2. q. 136. art. 1.] Cicero autem sic definit: *Patientia est honestatis, & vtilitatis causa, voluntaria, ac diuturna perpessio rerum arduarum, ac difficilium*. Ex quibus planum est, sub patientia comprehendi constantiam, & longanimitatem. Chryf. hom.35.in 1. ad Cor. Patientia enim consistit in tolerantia malorum, quæ afferunt tristitiam: sub ratione autē mali contristantis potest etiam comprehendi labor, quē homo sustinet in continuatione boni operis, quod pertinet ad constantiam; vt infra patebit. cap. 23. §. 2. Includitur præterea dilatio boni sperati, quæ pertinet ad longanimitatē: nam *Spes, quæ differtur, affligit animam*, Prou. 13. hæc ex D.Tho.art.5.

Obiectū eius.

Præstantia. 2 Præstantia autem, & vtilitas huius virtutis ex his colligitur. Primum quod est diuina virtus: nam Deus est patiens, Psal.7.& 85. immò

immò dicitur *Deus patientiæ*; ad Rom. 15. nam tolerat peccatores; ibid. c. 2. Similiter Christus Dominus, *cum enim pateretur, non comminabatur*. 1. Pet. 2. & Sancti omnes eum imitati sunt, tanquam filij patientissimi patris; [vt obseruat Tertull. lib. de patient. & Cypr. lib. de bono patient.] Secundò, quia ex Iac. 1. *Patientia opus perfectum habet*. Hinc Dominus Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Tertiò, quoniam *est radix omnium virtutum*; vt Gregor. hom. 35. in Euang. Immò quia bona omnia custodit; [ex Cypr. l. de patient.] & repellit aduersa: quapropter nulla virtus est sine patientia: nam etiam *charitas patiens est, omnia suffert, omnia sustinet*; vt 1. Cor. 13. & Cypr. Confert item maxime ad castitatem; [Cassian collat. 12. cap. 6.] Quartò est via ad perfectionem, & ad magna præmia. [Chrys. hom. 40. & 64. in Gen. Cypr loco cit.] idcoque Sancti multa præcepta de ea tradiderunt. Hinc Bern. serm. 1. in festo Apost. Petri, & Pauli ait, *Bonam autem vitam ego puto, multa pati, & bene facere, & sic perseuerare vsque ad mortem*. Quintò sine ea lex diuina seruari non potest; vt Cypr. ibidem, nam ad Hebr. 10. ait Apostolus: *Patientia enim vobis necessaria est; vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem*. Hinc Prou. 16. Melior *est vir patiens viro forti*. Sextò facit hominem fortem, etiam ad ferendum martyrium; vt Greg. hom. 35. in Euang. vbi dicit *patientiam esse martyrium in occulta cogitatione*: idem Chrys. [hom. 35. in 1. ad Cor. & hom. 25. ad pop. & in Psal. 127.]

Est diuina virt⁹.

Opus perfectum habet.

Est radix, & custos virtutũ.

Est via ad perfectionem.

Legem seruat.

Facit fortem.

127.] ait enim *esse scutum inexpugnabile, turrim firmam, mala omnia repellentē adamantē*, &c. Septimò, patientia ædificat ad gloriam, impatientia ædificat ad ruinam: conseruat item nos in Dei filiatione, impatientia verò facit filios Sathanæ. Cypr. l. de bono patient. Octauò pax mutua conseruari non potest sine patientia: propterea Apostolus supportare inuicem iubet, ad Gal. c. 6. & ad Eph. 4. vt notat Cypr. & Tert. qui etiam adiungit secundum Philosophos pacem in patientia consistere. Nonò, Patientiæ sequester est Deus, qui se constituit debitorem ad iniuriam vindicandam; vt Tert. Decimò, confundit, & vincit aduersarium: si enim doles pro illata iniuria, ille gaudet: idcirco namque offendit, vt doleas. [Tert. l. de patient. Chrys. serm. 12. in epist. ad Rom. & hom. 85. in Matth.] Vndecimò cōfirmatur ex malis, quæ affert tristitia; *Multos etenim occidit, & nulla vtilitas in illa*, Eccles. 30. Item, *Sæculi tristitia mortem operatur*; 2. Cor. 7. Hæc autem incommoda aufert per tolerantiam patientia. Præterea ex malis, quæ affert impatientia: facit enim perdere omnia bona, etiam quæ magno, & diuturno labore es consecutus. [Cypr. l. de bono patient. Chrys. serm. 12. in ep. ad Rom.] Adde quòd per impatientiam non tollitur malum, sed crescit, & insuper anima sauciatur peccato. Hinc monet sapiens Eccl. 2. *In humilitate tua patientiam habe*. Committe ergo omnia Deo, vt fecit Iob; quia scit Dominus quid tibi sit vtilius: [Greg. l. 2. Mor. c. 18.] Propterea Sancti gloriabantur

Aedificat ad gloriā.

Pacem custodit.

Deū sequestrū habet.

Vincit inimicū.

Mala tristitiæ, & impatiētiæ.

in tribulationibus; vt Apost. ad Rom.5. & in vinculis gloriam constituit, dum vocat se *vinctum in Domino*. Hinc Chrys. hom.8. in epist. ad Eph. *Pro Christo pati eligibilius est in hac vita, quam rapi in cælum*, &c. vt supra lib.1. tr.3. c.1. §.7. Gloriandum in tribulationibus.

3 Ad patientiam denique consequendam iuuat, Primum hæc, quæ dicta sunt, studiose meditari. Deinde se assidue parare ad ferendas iniurias, & imperfectiones aliorum, & cùm laberis teipsum punias. [Cass. collat.16. c.20.] Iuuat item humilitas, [vt idem coll.18. c.13.] sit tamen cum oratione, & examine conscientiæ coniuncta. Tertiò cogita quanta alij, & Deus ipse in te tolerauerint. Item quod Dominus videt, vt fecit Abrahã Gen.22. Considera insuper meritas pœnas pro peccatis commissis: quas tamen Deus in hanc leuem commutat, vt te tamquam filium corrigat; & eam cum merito sustines, & cœlesti consolatione. [Lege Tert. l.de patient. Orig.hom.8. in Gen. Greg.hom.13. in Ezec. Chry.hom.49. & 76. ad popul.] Quartò, abstineas à murmuratione contra persecutores. [Greg. hom.35. in Euang. Chrys.hom.12.in ep. ad Rom.& 62. in Matt. & 82.in Ioan.] Item quintò ama eum, à quo pateris. Greg.hom.7. in Ezech.] Hinc Climac. gradu 4. *Bibe*, inquit, *summa alacritate obiurgationes, atque irrisiones à quouis homine tibi propinatas, non aliter, quam aquam vitæ*; & Doroth. serm.17. *Orato pro ijs, qui tibi conuitiantur, tanquam pro veris medicis, &c.* iuxta doctrinam Christi. Matt.5. Sextò, susti-

Patiẽtia quomodo acquiratur.

Sup. l.1. tr.3. c.1.

sustine patienter, etiam cum sine culpa pateris. 1.Pet.2. vt Patres seruarunt, [de quibus Cassia.collat.12.c.14.& 15.& collat.19. c.1.] Septimò, nunquam te excuses, nisi scandalum immineat, sed rem totam Deo committas: Sic Sancti, [de quibus Cassian. collat. 18. c.15. & collat.19.c.1. Chrys. hom.15. in Acta.] Octauò, Si patienter feras aliorum imperfectiones; est signum te proficere in virtutibus. [Greg. lib.5. Mor.c.15.] Nono denique iuuat meditari præmij parati magnitudinem,& æternitatem. [Chrys.hom.40.in Gen.Greg.l.4.Dial.c. 19.] nam in hoc sæculo *per Christum abundat consolatio nostra*; in futuro autem *æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. [Lege Orig. hom.8.in Gen.Chrys.hom.12.ad Rom.& hom. 8. ad Ephes.& homil.5.de patientia Iob.Greg. Mor.lib.26.cap.11. Basil.orat.11.de patient.] Adiungo postremò præcepta patientiæ non esse contraria bono Reipublicæ; [vt Aug. in ep. 5.ad Marcellin. D.Tho. 2.2.q.136.ar.4.ad 3.]

2. Cor.1. Ibi.c.4.

Iniuriæ Dei non ferendæ.

4 Porrò vt iniurias proprias patienter tolerare laudabile est, ita iniurias Dei sustinere, ac ferre nimis est impium; vt Chrys. hom. 5.in Matt. Confirmatur exemplo Christi Dñi, Ioan.2. & Phinees Num.25. item Eliæ 3. Reg. 18.& 19. & aliorũ Sanctorũ;[lege Greg.hom. 12.in Ezech.Chrys.hom.5.in Matt.iã citata.]

De Perseuerantia. Cap. XXIII.

Perseuerãtia qd.

1 PErseuerantia est *Virtus, qua homo sustinet diuturnitatem boni operis vsque in*

in finem: & propterea definitur à D. Aug. q. 31. lib. 83. qq. *In ratione bene considerata stabilis, & perpetua permansio*. Pro expositione autem aduerte, perseuerantiam duobus modis sumi; vel pro actu persistendi in bono, vel pro habitu perseuerantiæ: & tamen eodem nomine vtraque appellari solet, quod etiam accidit in fide, & alijs; significant enim & actum, & habitum virtutis. Hic autem est sermo de habitu perseuerantiæ, quo scilicet homo eligit perseuerare in bono vsque in finem. At verò duplex est finis; vnus operis, alter humanæ vitæ: per se autem ad perseuerantiam pertinet, vt aliquis perseueret vsque ad terminum boni operis. Sunt tamen aliquæ virtutes, quarum actus debent durare per totam vitam, nempè actus fidei, spei, & charitatis; quia respiciunt finem totius vitæ humanæ: ideoq. respectu harum virtutum, quæ sunt principales, non consummatur actus perseuerantiæ, nisi vitæ termino: propterea D. Aug. lib. de perseuer. ait, neminem posse dici perseuerantiam habere quandiu viuit, nisi perseueret vsque ad mortem; [idem D. Thom. 2.2. q. 137. art. 1.] Secundò nota, habitum perseuerantiæ indigere dono gratiæ habitualis: at verò actus perseuerandi vsque ad mortem eget non solum gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio; quo scilicet homo conseruatur in bono vsque ad finem vitæ: nam liberum arbitrium est vertibile, nec potest se immobiliter in bono statuere; & quãuis possit hoc eligere, non tñ exequi sine dicto Dei auxilio; vt D. Th. ar. 4.

Quot modis sumatur.

Quãdiu durare debeat.

Indiget gratia Dei.

Dif-

Quo differat à constantia, & patientia.

2 Differt à constantia, & patientia; nam perseuerantia sistit hominem contra difficultatem ortam ex diuturnitate operis boni; constantia contra difficultatem, quæ oritur ex alijs exterioribus impedimentis; patientia verò contra tristitiam ortam ex dictis impedimentis. D.Thom. art.3.

Præstantia eius, & encomia.

3 Præstantia perseuerantiæ ex his colligitur; quod nimirum *Sola meretur hominibus gloriam, coronam virtutibus; prorsus absque perseuerantia neque qui pugnat victoriam, neque palmam victor consequitur; vigor virium, virtutum consummatio est; nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium; soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculũ, propugnaculũ sanctitatis. Tolle perseuerantiã, nec obsequiũ mercedẽ habet, nec beneficiũ gratiam, nec laudem fortitudo*; vt Bern.ep.129.& alibi: *Aliæ*, inquit, *virtutes coronã merentur; sola perseuerãtia coronatur*; similia Bonau.Diet.8. c.4. Adde ex eodem Bern. quod *Perseuerantia est vnica filia summi Regis, finis virtutũ, earumq. consummatio, totiusq. boni repositorium, & virtus, sine qua nemo videbit Deum*; Hinc Eccles.2. *Væ illis, qui perdiderint sustinentiam*: & Matth.24. *Qui autem perseuerauerit vsque in finẽ, hic saluus erit.* Figuratur autem in cauda hostiæ, quam præcepit Dominus offerri in altari, Exod.29. & Leu.3. [vt obseruat Greg. l.1. Mor. cap.21. Lege etiam Chrys. hom.24. ad Hebr. & hom.59. & 74. in Ioan. & hortationem Greg.Past. p.3. adm.35. & hom.3. in Ezech. in fine.]

Ad

4 Ad perseuerandum verò vsque in finem, hæc conferunt: Primum promissa Dei auxilia cum exhortationibus coniuncta meditari, quorum sacra Scriptura plena est. Secundò, præsidia salutaria, quæ in promptu habemus in Ecclesia Catholica; & maximè sacrificium Missæ, sacramentaq. alia, orationes, conciones, exempla sanctorum, custodia Angelorum, & id genus multa, supra à nobis enumerata; quibus munitus Christianus, tamquam adamas, omnium tentationum iaculis resistit; & audet cum Apostolo dicere, *Omnia possum in eo, qui me confortat*; & cum Propheta; *In Deo meo transgrediar murum*; & insuper cum Paulo; *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an periculum, an persecutio, an gladius?&c. certus sum enim, quòd neque mors, neque vita,&c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei*. Tertiò, perpendere quæ supra dixi; & præsertim quòd momentaneus est labor,& præmium æternum: & sic delebitur ex animo falsa, quam ingerit hostis, opinio, diuturnitatis scilicet tentationis, & pugnæ: nam si multi Sancti, qui virtutem coluerunt, Dei ope perseuerauerunt; cur non etiam nos, eadem diuina gratia nixi? cùm non sit abbreuiata manus Domini, & nobis tamquàm filijs se offerat Deus, *Diues in omnes, qui inuocant illum*; ad Rom.10. [Lege Aug. l.8.Confess.c.11. Adde quòd *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitia*; ad Heb.12.

Media ad eā acquirendam.
D.Th 1.2 q.109.a.4
Phil.4.
Psal.17.
Rom.8.
l.1. tr.3. c.1.

Quartò iuuat excitare in nobis desiderium proficiendi exemplo Christi; ait enim Luc. 12. *Quomodo coarctor vsque dum perficiatur*; & item gaudere, & gloriari in tribulationibus pro Christo. Rom. 5. Quintò, proderit statuere quotidie solum eo die perseuerare oportere; sic enim fiet, vt longum tempus non videatur. Sextò, denique hoc donum à Deo assiduè in oratione postulare, quoniam eius donum est; & sic ab eius vnigenito edocti sumus in Oratione Dominica, in qua bis perseuerantia petitur; primum cum dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*; iuxta expositionem Cypr. de orat. Dom. & Aug. l. de perseu. c. 2. deinde in sexta petitione; *Et ne nos inducas in tentationem*; vt D. Thom. Petamus ergo deuotè, vt impetremus: non enim petere docuisset, si concedere noluisset: & præsertim cum pater sit pijssimus, qui dat *Spiritum bonum petentibus se*. Luc. 11.

Vitia opposita. Perseuerantiæ opponitur Mollities, & Pertinacia; de quibus D. Th. 2. 2. q. 138. & alij.

De Temperantia, Verecundia, & Honestate. *Cap. XXIV.*

Temperantia quid. 1 TEmperantia est *Virtus coercens concupiscentiam tactus*, idest cibi, & potus, & rerum venerearum; [vt D. Thom. 2. 2. q. 141. & alij.]

Laus, & fructus eius. 2 Laus, & fructus eius referuntur à Prospero, l. 3. de vita contempl. c. 19. his verbis: *Temperantia*, inquit, *temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum.*

cum, tacitum, serium, verecundum: hæc virtus, si in animo habitat, cupiditates frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, ingerit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem tacita tranquillitate componit, & totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit. Et Ambr. l. 3. de Virgin. *Temperantia,* inquit, *sacrata vinculo charitatis, mysteriorumq. contemplatione cælestium, negligit corporis voluptates.* Hæc ille. Ex quibus liquet, præcipuum fructum temperantiæ esse corporis voluptatem coercere; quæ mentem excæcat, abijcit, ac corpori subdit, cum res vana sit & momentanea: & propterea ad castitatem, & sobrietatem nos sacra Scriptura hortatur. Eccles. 11. & infra patebit. c. 25. & 26.

Volupta tes coercet.

n. 3 Iuuat ergo primum ad hanc virtutẽ comparandam, rectè perpendere eius vtilitatem: & item damna, quæ affert intemperantia, tam animæ, quam corpori. Secundò, exempla Christi Domini, & Sanctorum. [Lege Greg. 1. Dial. c. 1. Cassian. l. 5. Instit. & collat. 2. c. 19. & collat. 8. c. 1.] Tertiò, præmia sobrijs parata, etiã in hac vita; promittitur enim *Manna absconditum.* Apoc. 2. Hac etenim virtute disponitur anima ad diuinas voluptates capiẽdas. [Chrys. hom. 1. in Genes. & nos supra l. 1. tract. 3. c. 11.] Quartò, aliquid subtrahere etiam necessitati; vt ad medium perueniamus. [Greg. l. 20. Mor. c. 31.] Corpus præterea affligere operibus pœniten-

Quæ iuuẽt ad illam cõsequendã.

nitentiæ, [de quibus supra l.1.tract.3.c.11.& l.2.tr.1.c.22.§.4. Lege Orig.hom.14. in Num. & Greg.l.11.Moral.cap.vlt.Chrys.hom.2.in Psal.50.& hom.68.in Matth.& 40.ad pop.]

Partes eius sunt Verecundia.

Partes quasi integrales temperantiæ sunt Verecundia, & Honestas; de quibus D.Thom. q. 144. & seq. Verecundia est *Timor de turpi actu*, [vt Damasc.l.2.de fide.c.15.] Timor autem est de malo possibili, & imminente; hunc autem non habet virtute præditus; propterea verecundia proprie non est virtus; sed solũ ampla notione, cum sit quædam laudabilis passio.

Et Honestas.

Honestas verò est *honoris status*: cum autem honor debeatur excellentiæ, quæ in virtute posita est, idem est honestas, & virtus; idemq. quod spiritualis decor, seu pulchritudo; quæ in hoc consistit, vt scilicet actio eius sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem: Hinc Aug.q.30.l. 83. qq. *Honestatem*, inquit, *voco intelligibilem pulchritudinẽ*, id est spiritualem; multa enim sunt pulchra sensibilia, quæ minus propriè pulchra appellantur. Præterea quod est honestum, vtile est etiam, & delectabile; sed ratione differunt: nã

Quomodo differant honestũ, vtile, & delectabile.

Honestum dicitur, quatenus habet aliquam excellentiam dignam honore, propter spiritualem pulchritudinem; Delectabile autem, quatenus sedat appetitum; Vtile denique, quatenus refertur ad fœlicitatem. Pluribus tamẽ conuenit delectabile, quam vtile, & honestũ: quoniam omne vtile, & honestum est delectabile; non tamen contra, omne delectabile est vtile, vel honestum. Pertinet denique hone-

stas

stas ad temperantiam, non vt pars subiectiua, vel virtus ei adiuncta, sed vt pars integralis, seu quædam eius conditio; [vt D. Thom. egregie 2.2.q. 145.]

Postremò ex his efficitur, vt superuacaneum sit virtutis amatorem ad eam consectandam hortari; cum vel nomen ipsum honestatis mirabiles amores sui in omnium animis excitare possit, ac debeat. [Lege Chrys. hom. 29. in ep. 1. ad Cor. & hom. 4. in 1. ad Timoth.] Honestatis studiũ

De Abstinentia, Ieiunio, & Sobrietate. Cap. XXV.

Abstinentia est *Virtus, qua homo à cibis abstinet vt oportet pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, ac valetudinis necessitate*; Et hanc iubet D. Petrus ep. 2. c. 1. *in scientia* ministrari: quia scilicet eam ratio moderatur. [D. Tho. 2. 2. q. 146. art. 1.] Ieiunium verò est præcipuus actus abstinentiæ, ordinatus ad bonum honestum: nimirum ad reprimendas cõcupiscentias carnis; ad subleuandam mentem pro cælestium rerum contemplatione, & ad satisfaciendum pro peccatis: [vt D. Thom. q. 147. art. 1. & 2.] Abstinẽtia quid. Ieiuniũ quid.

Est autem duplex ieiunium, Naturale scilicet, & Ecclesiasticũ: Naturale est, quod quisque sponte suscipit instinctu legis naturalis ad consequendum finem iam dictum; Ecclesiasticum verò est, cum quis abstinet à cibis certis temporibus, & certa ratione, iuxta legem, & consuetudinem Ecclesiæ: ex quo fit, vt hoc ie- Quotuplex.

iunium sit actus abstinentiæ, & obedientiæ; & potest etiam esse actus pœnitentiæ, iustitiæ, religionis, & charitatis, &c.

Sobrietas qd. Sobrietas denique est *Virtus, quæ moderatur potum vini, vel alterius liquoris, quod inebriare potest*; vt D.Tho.q.149.art.1.

Harum pstantia. 2 Harum virtutum præstantia magna est: Primum, quia in sacris scripturis laudatur & iniungitur. Eccles.37. *Qui abstinens est, adijciet vitam*: & Ioel. 2. *sanctificate ieiunium*; item 2.Cor 6. *Exhibeamus nosmetipsos in multa patiētia, in ieiunijs multis*, &c. & ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*; & 1. ad Thessal. 5. *Nos*, inquit, *qui diei sumus, sobrij simus*: & item Luc.21. *Ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate*: & Eccles. 31. *Sanitas est animæ, & corpori sobrius potus; multus vero, facit ruinas multas*. simile in c. 19.

1. Ex sacris Scripturis.

Sup. tr. 1. c. 22. §. 4.

2. Ex sanctis Patribus. Secundò, celebratur à sanctis Patribus, & præsertim à Basilio, hom. 1. de ieiun. *Ieiunium*, inquit, *legislatores sapientes facit, animæ optima custodia, corporis habitatio secura, fortibus viris munimentum, & arma, athletis, & certantibus exercitatio: hoc præterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantiæ opifex est, in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet, Nazaræum sanctificat, sacerdotem perficit; neque enim fas est sine ieiunio sacrificium attingere*. Et Ambr. lib. de Helia, & ieiun. c. 3. hæc scribit: *Quid est ieiunium, nisi substantia, & imago cælestis? ieiunium refectio animæ, cibus mentis: ieiunium vita est Angelorum, culpa mors, ex-*

cidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis; hoc ad Deũ gradu citius peruenitur. Item cap. 9. *Dulciores*, inquit, *post famem epulæ fiunt*. Et Chryſ. hom. 1. in Gen. *Pennas*, inquit, *producit, quibus feratur sursum.* Item efficit ne insurgant in nos concupiſcentiæ; vt Athan. ſerm. 1. de ieiunio. Prodeſt item ad proſternendum, & elidendum Diabolum; [vt Leo ſer. 4. de ieiun. dec. menſ.] iuxta Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi in oratione, & ieiunio*. Propterea Bern. in ſerm. 3. de Quadrag. omnia membra ieiunare iubet; quoniam omnia peccauerunt. Item Aug. lib. de ſalutarib. document. tamquã fræno corpus ieiunio domandum docet. Ad hęc Clim. de diſcret. grad. 26. *Veterem*, inquit, *non exues hominem, nisi, tamquam serpens, per angustam ieiunij transeas viam*. Adiungit inſuper ibid. quod *Vt exsiccatum lutum non potest porcis esse vsui ad volutationem; sic anima dæmoni post ieiunium*. & cap. 48. *Terra immodice rigata spinas profert; sic corpus immoderato cibo impinguatum*. Adde quod hæc fuit ruina Sodomæ. Ezech. 16. [Lege Orig. hom. 10. in Leuit. Chryſ. hom. 72. & 73. ad pop. & hom. 1. & 2. in Pſal. 50. Euſeb. lib. 5. hiſtor. Eccleſ. c. 24.] Tertiò confirmatur exemplo Chriſti Domini, & Sanctorum omnium; qui *in ieiunijs multis* peruenerunt ad regni palmam. Et vt alios omittam, Ioan. Baptiſta magnus coram Domino fuiſſe dicitur, quod vinum, & ſiceram non biberit; vt obſeruat Euſeb. Emiſſen. hom. de eodem. 3. Ab exẽplis. 2. *Cor.* 6.

Quomodo cōparentur. 3 Ad has autem virtutes comparandas prodderit hæc sedulò meditari : atque ea, quæ supra diximus obseruare , & præsertim tract. 1. cap.22.§.4.& lib.1.tract.3.c.15. Lege etiam Cassian. lib.5.Inst.cap.vlt. vbi dicit, sic esse nobis ieiunandum, quasi essemus victuri centū annos;sicq. mortificationi incumbendum,quasi essemus tunc morituri.

Ieiunandum à culpis. 4 Atqui ieiunium , & abstinentia à cibis corporalibus non prosunt , *nisi etiam mens à culpa ieiunet* ; vt Leo serm. 4. de Quadrag. Et item cum operibus misericordiæ coniungatur; *Quod enim est lucerna oleum, diei sol , anima corpori, hoc ieiunio misericordia* ; [vt ait Petr. Chrysol. ser.8. de ieiun.& eleem.]

De Castitate , seu Pudicitia . *Cap. XXVI.*

Castitas quid. 1 Castitas est *Virtus, qua homo secundum iudicium rationis,& electionem voluntatis , refranat concupiscentias venereorum*. Eius præcepto omnes ligantur , etiam coniugati. [Aug.lib.de decem chord.c.3.] quare Castitas propriè sumpta est distincta ab alijs virtus , & pars Temperantiæ. Si autem sumatur metaphoricè, est virtus generalis: qua scilicet homo retrahitur, ne rebus illicitis delectabiliter coniungatur ; quod fit per quamlibet virtutem , & in primis per Charitatem: & huic Castitati metaphoricæ opponitur fornicatio spiritualis ; de qua Hierem.3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis* . Ex his patet castitatem distingui ab abstinentia , quæ

Quotuplex.

est

est circa delectationes ciborum moderandas.

2 Pudicitia verò dicitur à pudore, id est verecundia: maximè autem homo verecundatur de actibus venereis; [vt Aug. lib. 1. de Ciu. c. 18. Damasc. lib. 2. de orthod. fide c. 15.] idq. tum propter rebellionem, & inobedientiam genitalium membrorum; tum quia ratio ab huiusmodi delectationibus maximè absorbetur; tum denique quod animum virilem summopere deijciant; [vt testatur Aug. Soliloq. lib. 1. c. 10.] Hinc Ambr. *Pudicitia comes verecundia est.* Pudicitia quid.

Attenditur autem inprimis Pudicitia circa signa venereorum, quæ sunt aspectus impudici, oscula, & tactus. Castitas autem magis respicit ipsam veneream commistionem: Quapropter non est virtus distincta à pudicitia, sed exprimit quandam eius circumstantiam, & interdum confunduntur vocabula; nam vnum pro alio vsurpatur; vt patet apud Aug. lib. 1. de Ciu. c. 18. vbi pudicitiam sumit pro castitate. [D. Tho 2. 2. q. 151.] Quomodo differat à castitate.

3 Castitatis præstantia ostenditur. Primum quod hominem reddit Angelis similem, Matt. 22. *Neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei*: Propterea sancti Patres vitam castam dicunt esse vitam Angelorum; [vt Greg. Nazian. Basil. de vera virgin. Item Cassian. lib. 6. Instit. c. 6. & lib. 12. c. 11. Bern. in epist. 42. Amb. lib. 1. de virginib.] Chrys. hom. 23. ad Ephes. vbi dicit esse Angelorum virtutem è cœlo per Christum allatam. Idem in hom. de Ioseph continentia. Item in hom. de Castitatis præstantia. 1. Reddit Angelis similem.

fide

fide Annæ, *Castitas*, inquit, *reddit hominem veneratione dignum, amabilem, & superiorem reliquis passionibus.* Hinc Eccl.26. Sapiens ait, *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*; & Prou.22. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicũ regem*; & Sulpitius Dial.2. *Beata*, inquit, *species eius, & digna Deo*; & Greg. Nyss. l. de vera virginit. hac asserit restaurari, ac restitui deprauatam imaginem Dei in nobis; [Lege Orig. hom.9. in Exo. & hom.1. in Leu. & Chrys. hom.63. in Matth. & 22. ad popul.] Secundò, quia est *Sacrificium nobis Deum concilians*; vt Orig. hom.23. in Num. Ambr. l.2. de virgin. & l.1. laudabilem esse dicit, quòd martyres faciat. Tertiò, quòd miraculis præferatur. Cassia. coll.15. c.8. & vlt. Quartò propter alia maxima quæ affert commoda, & vtilitates; Castus enim liberatur sollicitudine, & tribulatione carnis, & cogitat solum, quæ Domini sunt, 1. Cor.7. & vt ait Chrys. l. de virg. auget nos innumeris bonis; Est etenim castitas *Radix sapientiæ*; Sap.3. quare sapientissimi quique castissimi. Confert robur corporis, & animi: Iudith 15. Cumulat item animam cœlesti gratia, & præclaris Dei donis. Replet præterea illam spirituali delectatione, qua gustata desipit omnis caro: quapropter numeratur inter fructus Spiritus sancti, ad Gal.5. Ad hæc Cypr. l. de disciplin. & bono pudic. *Voluptatem*, inquit, *vicisse, voluptas est maxima, & nulla maior victoria, quàm quæ de cupiditatibus refertur.* Hieron. item l.1. in Iouinian. *Grandis*, inquit, *fidei est*, *gran-*

2. Est sacrificiũ.

3. Præfertur miraculis.

4. Eius cõmoda.

Spiritualem delectationem affert.

grandisq. virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, & iuxta eundem Apostolum, sanctum esse corpore, & spiritu, 1.Cor.7. Atque hi sunt Eunuchi, qui, se *Lignum aridum* ob sterilitatem putantes, audiunt per Esaiam, c. 56. quod *Locum, & nomen melius pro filijs, & filiabus* habeant in cælis paratum. Liberat denique à malis luxuriæ; de quibus supra lib. 1. tr. 3. c. 11. vbi etiam de remedijs egimus. Omitto exempla Sanctorum, & præsertim eorum, qui vitam potius, quam castitatem perdere maluerunt.

De indicijs castitatis lege Cassian. coll. 12. cap. 7. & collat. 19. c. vlt.

4 Castitas acquiritur oratione, ieiunio, contritione, &c. [Cassian. l. 6. Inst. c. 1. & 23. item collat. 12. & 15.] præterea humilitate, custodia sensuum, atque mortificatione custoditur. [Greg. l. 21. Mor. c. 2. & 3. & lib. 11. c. 9. seu. 8. Cassian. collat. 12. c. 15. & 16. Chrys. in Iob. c. 31. vt in catena in Iob.] Conseruatur etiam obedientia; [vt supra c. 15. ex Aug. & Bern.] Conseruatur item honesta occupatione [Chrys. hom. 7. in 2. ad Cor. Greg. 22. Mor. c. 14. Cassi. l. 6. Inst. c. 23. & nos l. 1. tract. 3. c. 11.] Item vitando periculosas occasiones. [Chrys. hom. 7. in 2. ad Cor. & nos c. 11. citato.] Adde quod *sapientia delectationes carnis interimit*, [vt Greg. l. 22. Mor. c. 14. & quod hæ Dei cognitione arescunt. [Idem hom. 14. in Ezech. Lege etiam eiusdem Past. p. 3. admon. 18.] conseruatur denique extirpatione aliorum vitiorum.

Quibus modis acquiratur, & cõseruetur

[Cas-

[Cassian.l.5.Instit.c.11.& 20.]

Quomodo perdatur.

5 Perditur castitas gula, [vt Greg.l. 36. Mor.c.17. Cassian.lib.5. Instit.c.11.Aug. in serm.quodam;] Item superbia ; nam ad eam deprimendam permittit Deus superbum turpiter labi; [iuxta Greg.l.26.Mor. c.13. & lib. 11.c.8. seu 9. Cassian.coll.4.15. & 16.D.Tho. vt supr.l.1.c.11.n.6.]quare *non placet Deo castitas sine humilitate*; [Greg.l.21.Mor.c.2. & 3.idẽ Aug.& Bern.vt infr.c.32.§.8.dicemus.]

De Virginitate. *Cap.* XXVII.

Virginitas quid, & in quo cõsistat.

1 Virginitas, potior castitatis species, est *Expers contagionis integritas* ; [secundum Ambr.lib.1.de virginib.] Verum pro explicatione statuo, in actu generationis tria considerari, Primum est signaculi virginalis violatio, Alterum resolutio seminis, Tertium est propositum talis delectationis : Virginitas autem formaliter consistit in proposito abstinendi perpetuò á dicta delectatione : violatio enim dicta se habet per accidens ad actum moralem; resolutio autem seminis materialiter : Propterea Aug.lib. de virg.c.13. sic describit; *Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio* . [lege D.Thom. 2. 2. q.152.art.1.]

Est pstantissima.

2 Est laudabilis virginitas ; quia suos sectatores expeditos reddit ad vacandum Deo, 1.Cor.7. Est præterea virtus; quoniam versatur in bono, quod habet peculiarem excellentiam; & est præstantior matrimonio. 1. Corin.

7. &

7. & Matth. 19. Concil. Triden. sess. 24. can. 10. de sacramento matrim. Hieron. lib. 1. contra Iouin. D. Thom. art. 4.] Non tamen est præstantissima virtutum: nam virtutes theologales, & religio, propinquius quàm virginitas circa Deum versantur: immò verò martyres vehementius operantur, vt inhæreant Deo, quam virgines.

In genere tamē castitatis.

3 Verumtamen virginitas est præstantissima in genere castitatis, & meritò ab omnibus celebrata: quare Cypr. l. de pudicit. & habitu virg. *Quo sublimior*, inquit, *est virginum gloria, maior & cura est; flos est ille ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi*. Et Ambr. l. 1. de virg. ait, *Pulchritudinem quis potest maiorem æstimare decore virginis, quæ amatur à Rege, probatur à iudice, dedicatur domino, consecratur Deo?* Item Apoc. 14. Virgines *sequuntur agnum quocunque ierit*, & cantant canticū Agni; & Dominus Matth. 19. *Qui potest*, inquit, *capere capiat: Proponens agonothetis certantibus præmium, inuitans ad cursum, tenensq. in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamitat, Qui sitit, veniat ad me, & bibat*. Lege Hieron. contra Iouin. l. 1. Præterea comparatur martyrio, [ab Ambr. l. 1. de virg. Hieron. epist. ad Demetriad. Bernard. serm. 30. in Cant. & alijs,] *Quòd scilicet ipsa martyres faciat*; vt ait Ambros. l. 1. de virg. A Christo denique, eiusq. matre decoratur; quos innumeræ virgines imitantes Deum in corporibus suis glorificauerunt; illæq. maxime,

Cōparatur martyrio.

Exempla Sāctorū.

Quæ

Quæ ne virginitatem perderent, vitam profu- derunt; [de quibus Ambr. l. de virg. & Euseb. l. 8. hist. c. 4. Basil. de vera virginit.]

De Continentia. *Cap. XXVIII.*

Continẽtia quid. 1 Continentia est *Habitus, quo homo resistit prauis concupiscentiis, quæ in eo vehementes sunt*. Quare non est virtus propriè sumpta, sed ampla solum significatione; quatenus scilicet nomen virtutis tribuitur cuicumque principio actionis laudabilis: nam perfecta virtus moralis subdit appetitum rationi, sic vt in eo non insurgant vehementes passiones rationi contrariæ; [vt D. Tho. 2. 2. q. 155. art. 1. ex Arist. 4. Ethic. c. vlt.]

Eius materia. 2 Eius materia sunt delectationes tactus: namq. cum sequantur inclinationem naturæ, vehementer animum impellunt; D. Tho. ar. 2.

Subiectũ 3 Continentia non est in vi concupiscibili, cùm hæc infirma sit; sed in voluntate, in qua est electio: quia continens, cùm patitur dictos motus, eligit eos non sequi, ne à recta ratione discedat.

Præstantia. 4 Temperantia præstantior est continentia propriè sumpta, cùm hæc includat imperfectionem: si verò sumatur continentia, vt significat cessationem ab omnibus delectationibus venereis, sic est melior quàm temperantia, sicut virginitas excellit castitati: & hac notione sumitur à Sapiente Eccl. 26. cum ait, *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ*, nempe in genere castitatis; vt D.

Thom.

Thom. ar. 4. ad 1. Multa, quæ ad hanc virtutem spectant, supra à nobis dicta sunt l. 1. tr. 3. c. 11. & l. 2. tr. 1. c. 22.

De Clementia, & Mansuetudine. *Cap. XXIX.*

1 CLementia est *Virtus moderatiua exterioris punitionis*: Mansuetudo autem est *Virtus, quæ minuit passionem iræ*: & sic vtraque secundum rationem cõcurrit ad eundem effectum: Nam ira solet hominem prouocare ad inferendum maiorem pœnam; hac ergo frænata, minuitur punitio: Propterea sunt partes temperantiæ, quia illam quoad modum imitantur: Temperantia tamen est præstantior; quoniam minuit concupiscentias, quæ assiduitate, & turpitudine superant passionem iræ, ac seueritatis.

Clementia, & mãsuetudo quid.

2 Quod igitur attinet ad harum virtutum excellentiam, cum retrahant à malo (quia scilicet minuunt iram, & pœnam) certum est simpliciter non esse potissimas virtutes: nam perfectius est consequi bonum, quam carere malo; & propterea virtutes, quæ referuntur ad bonum, sunt perfectiores, quales sunt theologales, prudentia, & iustitia. Attamen secundum quid clementia, & mansuetudo habent quandam excellentiam inter virtutes, quæ resistunt prauis affectionibus. Ira etenim, quam mitigat mansuetudo, propter suum impetum maximè impedit iudicium rationis & veritatis; & propterea mansuetudo facit hominem com-

Eius præstantia.

1. Quia mentẽ serenat.

compotem sui: hinc Eccles. 10. *Fili in mansuetudine serua animam tuam.* Clementia verò, quatenus minuit pœnam, maximè accedit ad charitatem. D. Thom. 2. 2. q. 157. Secundò

2. Pacem cōciliat. ad mansuetudinis laudes accedit, quod pacem conciliat inter membra eiusdē corporis, eiusdemq. naturæ; nam *sumus inuicem membra*, ad Ephes. 4. & ad Rom. 12. Hinc Chrys. hom. 34. in Gen. *Nihil animum ita in tranquillitate, & quiete esse facit, vt mansuetudo; hæc enim omni diademate, & gloria conducibilior.* Affert præterea animæ gaudium internum, & delectationem: quapropter inter spiritus fructus numeratur, ad Gal. 5. semper enim coniuncta est cum humilitate, & patientia, & quiete, ita vt vnum sit indicium alterius; vt supra dictum est lib. 1. tract. 3. c. 14. Tertiò facit hominibus amabilem, vt Chrys. hom. de mansuet. *Gratus*, inquit, *& amabilis est videntibus, gratus item & his, quibus tantum nomine notus est; &c.* Quartò est Deo grata. Psal. 146. *Suscipiens mansuetos Dominus*: & Psal. 24. *Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas*; & Prou. 3. *Mansuetis dabit gratiam.* Placet item Domino eorum deprecatio. Iudith 9. Hinc Chrysost. *Deus*, inquit, *non ita diligit homines propter virginitatem, ieiunium, cōtemptum diuitiarum, hilarem eleemosynarum largitionem, vt propter mites, beneq. compositos mores.* Quintò superat inimicum; quia scilicet ad pœnitentiam adducit: & hoc est carbones congerere super caput eius. Rom. 12. [vt exponit Aug. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 16.]

3. Facit hominē amabilem.

4. Est Deo grata.

5. Vincit inimicū.

Adde

Adde quod solo aspectu hominis mansueti ad animi tranquillitatem, & sanitatem adducuntur; [vt Chrysost. homil.3.de Dauid, & Saul.]

Sextò quia Christus Dominus verbo, & exēplo eam docuit; ait enim, *Discite à me, quia mitis sum*.Matth.11.& Sancti illum imitati sunt. 6. Exemplū Christi.

Septimò liberat ab iræ turpitudine; de qua nos supra l.1.tr.3.c.14 [Lege Chrys. hom.52.& 62.ad pop.& 62.in Matth.]

3 Ad eam consequendam iuuat meditatio eorum, quæ hactenus dicta sunt: seque quotidie ad ferendum iniurias parare: suaq; peccata respicere; [vt Greg.l.5.Mor.c.31.Bern. ser.13.in Psal.*Qui habitat.*] Secundò, quod faciat nos Deo similes.[Chrys.hom.9 in Gen.]& figuratur.3.Reg.19.cum Dominus apparet in spiritu auræ tenuis, &c. Tertiò quod maximis præmijs cumuletur, vt patet in Abrahā.Chrys. hom.34.in Gen. [Lege Greg.l.3.Dial.c.15.& l.4 c.10.& 19.& l.5.Mor.c.31.] Et præter pacem, qua in hac vita mansueti fruuntur, promittitur eis donū castitatis; [vt Cass.coll.12.c.6.] & hoc dicit esse possidere terram, quod Dominus Matth.5.pollicetur. Quomodo autem sint admonendi mansueti, & iracundi, lege apud Greg.Past.p.3.adm.17.

Quomodo comparetur. Eius præmia.

4 Debet esse coniuncta cum charitate, vt reliquæ virtutes; *Nam tolerare, sed odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris*, vt Greg.hom.7.in Ezech. Coniungēda cū charitate.

De Modestia. Cap. XXX.

Modestia q. sit.

1. MOdestia late sumpta est *Moderatio cupiditatum rationi obediens*: propriè autem accepta est, *Virtus, quæ in rebus mediocribus, ac minimis modum ponit.* Adiungitur temperantiæ, quæ moderatur passiones vehementes, tamquam principali: nam modestia moderatur alias passiones animi, & externas actiones corporis, nimirū verba, facta, & exteriore cultū; vt D. Tho. 2. 2. q. 160. 168. & 169.

Ei[9] præstantia.

2. Præstantia huius virtutis patet primum ex sacris Scripturis; vbi eius præcepta traduntur, Eccl. 7. 19. & 21. Prou. 4. & 17. Item quia finis eius est timor Domini; Prou. 22. Contra verò incompositi mores, & actiones vituperantur, vt Isai. 3. *Extento collo, & nutibus oculorum ibant.* & Prou. 6. *Oculos sublimes* detestatur Deus.

Propterea Ambr. l. 1. Offic. c. 18. etiam in oratione modestiam requirit; exemplo publicani, qui non audebat oculos in cælum leuare. Hinc Apostolus ad Phil. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*; & Petrus ep. 1. c. 3. modestos, & quietus spiritus exigit. Secundò exemplo Christi Domini; cuius modestiæ meminit Apostolus 2. Cor. 10. Eius etiā sanctissimæ matris Mariæ, quam celebrat D. Ambr. loco iam adducto. Tertiò quia *Fœnus regendæ castitatis comes est pudor*; vt Ambr. ibid. Quartò quoniā immodestia corrumpit bonos mores, quapropter Basil. serm. de humil. *Studeamus*, inquit,

Exempla Sanctorum.
Est castitatis comes.

me-

modestiæ: nam studijs, & exercitijs assimilatur anima: & qualia facit, talis formatur, & figuratur. Quintò, hinc sequitur ex immodestia dignosci interiorem animi relaxationem; vt Greg. Past. p. 3. c. 24. vbi ait, *Interior est custodia, qua ordinata seruant exterius membra: qui ergo statum mentis perdidit, foris in inconstantia motionis fluit: atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat.* Hæc ille; Simile Basil. in Reg. fusius disp. interr. 17. Adde quòd seuerior est modestia Christiana, quàm gentilis; [vt Ambr. l. 1. Offic. c. 23. Lege etiam Hieron. in ep. ad Saluinam. Greg. 4. Dial. c. 17. & quæ nos supra l. 1. tr. 3. c. 7.] Nunc aliqua de Studiositate dicamus, quæ sub modestia continetur.

Immodestia indicat animum relaxatū.

De Studiositate. Cap. XXXI.

1 STudiositas est *Virtus, qua mens vehementer ad aliqua cognoscenda applicatur secundùm rectam rationem*: Et ab ea homo dicitur studiosus, quasi studij curiosus: [vt Isid. l. 10. etym. c. 18.] iuxta consilium Sapientis Prou. 28. *Stude sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum; vt possis respondere exprobranti sermonem.*

Studiositas qd.

2 Cùm igitur omnis homo naturaliter scire desideret; moderatio huius appetitus pertinet ad virtutem studiositatis: facit enim vt laudabiliter homo frænet appetitum sciendi, ne scilicet immoderatè rerum cognitioni intendat; idest ne vim cognoscendi applicet

Eius obiectum.

ad cognoscendum ea, quæ non oportet, vel non ea ratione, ac modo, quo oportet. Ideo est pars secundaria temperantiæ, ad quam spectat moderari motus appetituum naturalium; comprehenditur vero sub modestia, cuius est moderari appetitus mediocres, qui scilicet non sunt ita difficiles ad frænandum. Quamuis igitur actus cognitionis pertineat ad virtutes intellectuales; tamen, vt recte homo appetat cognoscere, efficit hæc virtus studiositatis.

Reducitur, ad Temperantiam.

Eius effectus.

1 Verumtamen quoad cognitionem, est in homine contraria propensio: Vt enim animi natura ad rerum scientiam impellit, sic corpus ad fugam laboris discendi; quapropter studiositas moderatur vtramque propensionem. Primam quidem, quia frænat immoderatum appetitum sciendi: Alteram vero, quoniam studiositas consistit in vehementi quadam applicatione, quæ hoc impedimentum remouet, fugam videlicet laboris: idq. per accidens præstat; nam per se & essentialiter ad cognitionem refertur; & propterea primarius eius effectus est frænare appetitum sciendi, vt dictum est.

Vtilitates.

1. Ad cōparādas sciētias.

2 Vtilis admodum est homini hæc studiositas. Primum quia ad scientias adipiscendas plurimum confert: quæ animam perficiunt, ad Dei cognitionem inducunt, virtutibus adiumento sunt, & humanam politiam conseruāt: immò vero scientia sacrarum Scripturarum, ac Theologiæ religionem ecclesiamque tuetur. 2. Tim. 3. Quapropter posuit in ea Deus

quos-

quosdam pastores, & doctores; vt possint eos, qui veritati contradicunt, arguere, rudes instituere, atque ad Christianam disciplinam perfectionemq; instruere. 1. Cor. 12. ad Ephes. 4. ad Tit. 1. Secundò vt omnes, præstantem, atque ingenuo homine dignam occupationem habentes, otium vitarent: quocirca Salomon Eccles. c. 1. *Hanc occupationem pessimam*, hoc est laboriosam, *dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea.* Tertio, vt studij assiduitate facilius sensualitatis appetitiones homo domaret: nam *frequens meditatio, afflictio carnis est.* Eccles. c. vlt. vt ait Sapiens; [& exponit Aug. lib. de decem chordis, & nos supra lib. 1. tr. 3. c. 11.] Quartò, vt per scientias, quasi per gradus, ad cælestia bona contemplanda animus hominis efferatur.

2. Ad vitandum otium.

3. Ad domandam sensualitatem.

4 Ad cælestia cōtemplanda.

5 Ad proficiendum verò in studijs literarum illa sex maxime conducunt, quæ D. Anton. tradit p. 4. tit. 4. c. 11. eaq. figurata in sex gradibus, quibus ascendebatur ad thronum Salomonis. 3. Reg. 11. Primum est mentis puritas: nam *In maleuolam animam non introibit sapientia; nec habitabit in corpore subdito peccatis*, Sap. 1. Secundum est assidua oratio. Iac. 1. *Si quis indiget sapientia postulet à Deo*: sic enim Salomon sapientiā est consequutus; sic D. Bernardus, sic D. Thom. de Aquino, sic pleriq. alij. Tertium est humilitas: hæc autem consistit maxime, vt studiosus nullam scientiam contemnat, quæ contra fidem non est; item vt fateatur ingenue se nescire, quæ nescit: & denique vt à nemine discere erubescat, exemplo

Media sex ad proficiēdum in studijs.

Mentis puritas.

Oratio.

Humilitas.

Inf. c. 32. D. Augustini, qui ait, *Ego senex à puero, Episcopus tot annorum à collega nondum anniculo paratus sum edoceri*, cap. *Si habes*. 24. q. 3. & cap. *Nullus* d. 38. Immò verò etiam à malis discere non recuset: quod figuratur in vasis aureis, & argenteis, quæ iussit Dominus populo suo ab Aegyptijs accipere, cap. *Legimus*. d. 37. Quartum vt abstineat à lectione librorum prohibitorum, vt iubet Ecclesia, & monet Aug. lib. 3. de doctr. Christ. Quintum, vt adhibeat modum in studendo, & præsertim diuinis: cauendo maximè temeritatem, curiositatem, instabilitatem, rixas, & denique celeritatem in percurrendo: *nihil enim egregium ab homine derepente fieri solet*. Ephr. tom. 1. serm. de patien. & consum. sæculi. Sextum est assiduitas studij: [vt Hier. ep. 2. ad Nepotian. & ep. 13. ad Paulin. & 22. ad Eustoch. de custod. virg.] Adde postremò ne sit de scientia acquisita Deo, vel doctoribus ingratus, ne forte illa priuetur; cap. *Reuertimini*. 16. q. 1. Huic virtuti opponitur Curiositas, de qua lib. 1. tr. 3. c. 12. dictum est.

Abstinētia à libris prohibitis.

Modus in studēdo.

Assiduitas.

Gratitudo.

De Humilitate. Cap. XXXII.

Humilitas quid.

1 HVmilitas est *Virtus, quæ refrænat animum, ne immoderatè in excelsa tēdat*. D. Tho. 2. 2. q. 161. Pro expositione autem huius definitionis nota, hominem posse duobus modis humiliari: vel ab extrinseco, cùm inuitus deprimitur, & sic humilitas est pœna; vel ab intrinseco, & tunc si ex consideratione pro-

propriæ vilitatis teneat se quis in infimis secundum suum modum, est actus huius virtutis: si autem se humiliet vltra limites rationis, videlicet si, non intelligens suam dignitatem, comparet se cum brutis, & similis illis fiat, est actus vitiosus. Præterea cum virtus præcipue consistat in electione interiori mentis, vt docet Aristoteles 2. Ethic. c. 5. si quis deijciat se ad ima signis tantum exterioribus, & non ex animo, esset falsa humilitas, immo superstitio, ac superbia; nam is gloriam quæreret propriam, non demissionem; [vt Aug. in quadam epistola. Greg. lib. 26. Mor. cap. 1. Cassian. coll. 18 c. 11. Bern. serm. 16. in Cant.] Vilem enim se haberi contendit, non humilem, qui hac virtute præditus est. Falsa humilitas.

2 Homini perfecto conuenit etiam humilitas; is enim non est simpliciter perfectus, sed solum ex parte, & præsertim cum Deo collatus: nam *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Isai. 40. quem locum exponit Greg. [hom. 8. in Ezech. & lib. 18. Mor. cap. 27.] vbi dicit, hominem esse puluerem, vel iumentum, iuxta Psal. 72. [item Orig. hom. 3. in Exo. Doroth. serm. 2.] Humilitas etiã perfectis cõuenit.

Deo autem, quia est simpliciter perfectus, non conuenit humilitas secundum naturam diuinam; sed solum secundum naturam assumptam; vt D. Thom. art. 1. Quod tamen intelligendum est de humilitate humana, seu creata: Habet tamen Deus humilitatem alterius generis; quæ infinitam arguit perfectionem, & bonitatem; vt ipse D. Thom. docet An Deo cõueniat & quomodo.

opusc. 63. c. 2. §. 3. nu. 20. his verbis: *Est, inquit, ibi aliud inflammans animam ad amandum Deum, scilicet diuina humilitas, de qua nimis admiratur anima. Nam Deus omnipotens singulis Angelis, sanctisq. omnibus in tantum se subijcit, quasi sit seruus emptitius singulorum: & quilibet verò ipsorum sit Deus suus. Ad hoc innuendum* transiens ministrabit illis; *dicens in Psal.* 81. Ego dixi dij estis: *summè quippe perfectus Deus ibi complebit, quod hic docuit,*

Eccl. 3.

quanto maior es, humilia te in omnibus; *qui quamuis præsit omnibus dignitate, & diuina maiestate, omnibus tamen subijcitur humilitate. O quam rarò conueniunt ista duo; omnibus praeesse per iustitiam, & tamen omnibus subesse per humilitatis gratiam: ideò muneratur hæc anima cum amore. Valde etiam inflammat amicitiam, & conseruat, nunquam velle praeesse, vel parem esse; sed omnibus, & in omnibus velle subesse. Hæc autem humilitas causatur ex multitudine bonitatis, & diuina nobilitatis: sicut arbor ex multitudine fructuum inclinatur. Similiter inflammat ad diligendum Deum specialiter humilitas Christi: qui cum in forma Dei esset æqualis Deo Patri, non solum minorari voluit ab Angelis; sed & carnis peccati similitudinem assumens, immò etiam excelsus super omnes homines, factus est abiectio plebis, & opprobrium pessimorum hominum. O immensa humilitas, quæ Deum impassibilem, & immortalem coegit esurire, sitire, lassari, miserabiliter mori! &c. Eadem humilitas coegit creatorem Angelorum, & hominum inclinari ad*

Raro cō iungũtur præesse & subesse.

Humilitas Christi.

vi ad infimam partem corporis peccatoris, hoc est ad pedes Apostolorum in lotura. Eadem humilitas incomprehensibilem Dominum maiestatis coegit frequenter venire sub specie panis ad consolationem fidelium, in sacramento. Hactenus D.Thom. Hinc Aug.lib.13. de Trinit. *Vt se*, inquit, *humiliaret, factus est homo*. Et Apostolus ad Phil.2. *Exinaniuit semetipsum formā serui accipiens*. Quare primus humilitatis doctor fuit Christus; [vt August.lib.de virg.cap.31.] Docuit autem illam verbo, & exemplo. Matt.11. *Discite à me*, inquit, *quia mitis sum, & humilis corde*. & Ioan.13. *Exemplum enim meum dedi vobis, &c.* Quare hæc virtus est propria Christianorū: immò verò vt ait Aug. lib. de virg. cap 31. *Humilitas penè tota disciplina Christiana est*. Simile etiam in epist. 56. ad Dioscor. Et præsertim quia membra debent conformari capiti; [vt August serm.40. de verb. Dom. & tract.25. in Ioan.] Hinc etiam fit, vt sit gratissima Deo: nam requiescit super humiles. Isai.66. exaudit orationes eorum. Psal.101. quia nempe hæ placent ei. Iudith.9. *Humilibus* denique *dat gratiam*. Iacob.4.

Humilitas propria Christianorū virtus.

Est Deo gratissima.

3. Virtus humilitatis consistit essentialiter in appetitu; regula tamen qua hic dirigitur, est cognitio sui ipsius: ille enim rectè reprimit appetitum, ne tendat in excelsa, qui non se æstimat pluris quàm sit. Et propterea Greg. lib.35.Mor.c.5. *Minus*, inquit, *se videns, minus sibi displicet*. Atqui vtriusque radix est reuerentia erga Deum: nam humilitas, vt est vir-

Oritur ex cognitione sui.

Et ex reuerentia in Deū.

virtus, præcipue respicit subiectionem, & reuerentiam, qua homo Deo subijcitur; ex qua fit, vt non plus sibi tribuat quam sibi competit secundum gradum, quem a Deo sortitus est; [vt D. Thom. art. 2. ad 3.] Ideoq. Aug. lib. 1. de serm. dom. cap. 9. dono timoris aptat, & Petrus ep. 1. cap. 5. monet, *Humiliamini sub potenti manu Dei*. Et Dauid Psal. 61. ait, *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* & Abraham Gen. 18. *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis*. Et verò etiam propter Deum se subijcit hominibus: hinc Petrus Apostolus epist. 1. cap. 2. monet, *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum*.

Non excludit Magnanimitatem.

4 Et si tendere ad magna ex confidentia sui ipsius est contra humilitatem; non tamen si ex confidentia diuini auxilij quis talia moliatur; vt Aug. in lib. de pœnitentia, *Aliud est*, inquit, *leuare se ad Deum; aliud est leuare se contra Deum*.

Quatenus quis alteri se subijciet.

5 Cum humilitas in primis respiciat reuerentiam diuinam, vt dictum est, quilibet, quoad id quod suum est, debet se cuilibet pro Christo subijcere, quoad ea, quæ sunt Dei in illo; non tamen requirit humilitas, vt id, quod est Dei in seipso, subijciat illi, quod est Dei in altero; sed potest sua dona præferre donis aliorum, vt fecit Apostolus ad Ephes. 3. Similiter neque requirit humilitas, vt homo quod est suum subijciat ei, quod est hominis in proximo: alioquin quisque deberet existimare, se esse ma-

maximum omnium peccatorem: cum tamen Apostolus ad Gal. 2. dicat, *Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores*. Potest tamen aliquis reputare laudabiliter aliquid boni esse in proximo, quod ipse nō habet; vel aliquid mali in se esse, quod in altero non est, vnde possit se illi subijcere. Hinc Apostolus ad Phil. 2. *Superiores*, inquit, *sibi inuicem arbitrantes*. Ex his efficitur, debere nos non solum reuereri Deum in seipso; sed etiam quod est eius in quolibet: non tamen eodem modo, quo Deum veneramur; vt patet ex ijs, quæ paulò ante dixi.

Et inferiorem ducet.

6 Ad hæc cum humilitas præcipuè in anima consistat, etiam superiores, seu Prælati, & Principes, debent se alijs subijcere: immò verò magnis viris magis necessariam esse hanc virtutem, asserit Chrysost. [serm. 4. & 5. de verb. Isai.] Verum in exterioribus actibus humilitatis adhibenda est illis moderatio; ne dum se plus æquo demittunt, contemptui sint, ac detrimento alijs; vt docet D. Thom. Attamen vniuersè vile eis videri non debet, nec contemnendum, cum Regis cœlorum vestigia sequuntur; omnibus enim summo honori est Regem aut Principem imitari. Lege D. Ioan. cap. 13. [August. hom. 24. in lib. 50. hom. & lib. 10. Confess. cap. 4. Basil. in Reg. fusius disput. interrog. 31. Cassian. lib. 2. Instit. c. 3.] & D. Pauli epist. 1. Cor. 11. & 2. Cor. 4. 11. 12.

Quomodo cōueniat Superioribus.

7 Præstans est inter virtutes morales: nam subijcit hominem vniuersum, vt ordinem rationis

Est virt. & pars Temperantiæ.

tionis sequatur in ijs, quæ sunt ad finem; vt probat D. Thom. art. 5. Est item pars temperantiæ quoad modum; quia reprimit motum spei, ne in altiora tendat quam sit conueniens: quamuis potentia irascibilis sit eius subiectũ, quod scilicet bonum arduum respiciat, vt copiosè exponit D. Thom. art. 4.

Quomodo sit fũdamentũ virtutũ.

8 Est præterea humilitas fundamentum ædificij virtutum: nimirum indirectè, quatenus remouet superbiam, & remote disponit ad gratiam auferendo elationem mentis; directum enim fundamentum est fides: vt suprà dixi, [Lege Chrys. hom. 2. ad Philem. & hom. 5. ad Philip. & homil. de verbis Dauid, *Quis sum ego:* Item August. serm. 10. de verb. dom.] *Est enim humilitas radix, mater, altrix, fulcimentum, & vinculum bonorum, quoniam fugat inanem gloriam, pugnas, lites, odia, contentiones, tepiditatem, inuidentiam, zelum, & reliquorum vitiorum turbam.* Neque id mirum, *nam sacrificium maximum humilitas est*, vt ait Chrys. hom. 2. in Psal. 50. Atque *Minimum de se sentire maius est, quàm maxima fecisse*; vt idem Chrys. hom. 3. in Matth. Propterea humilis melius diuina capit; vt Greg. l. 6. Mor. c. 5. Item Matth. 11. dicitur *Et reuelasti ea paruulis.* Item humiles semper gaudent. Chrys. homil. 43. ad pop. & beati a Domino dicuntur Matth. 5. cum ait, *Beati pauperes spiritu*; [& obseruat Chrys. hom. 15. in Matth & Aug. l. 1. de serm. dom. in monte. Hilar. in Matth. can. 4. Ambr. l. 5. in Luc. Nissen. l. de beatit. Orat. 2. Epiph. hæres. 66. Greg. l. 36. Mor. c. 20. Leo in hom.

Eius fructus, & prærogatiuæ.

Humiles beati.

in hom. de omnib. Sanct. Causa autem cur sint beati est, quod cùm de se demisse sentiant, nihil optant, nisi Deum; vt ait Basil. Præterea humiles laudantur à Deo, Chrys. hom. 38. ad pop. & ab hominibus, vt Greg. l. 1. Dial. c. 4. Ideoq. superbus, ne contemnatur, vestit se vestibus humilitatis, dum se humilem simulat. [Bernar. serm. 16. in Cant. Aug. tr. 8. in epist. Ioan. Cassia. collat. 18. c. 11. Greg. l. 26. Mor. c. 1. & Past. p. 2. cap. 9.] Propterea humilibus promittitur exaltatio, Luc. 14. [& exponit Chrys. hom. 2. in epi. ad Philem.] quia scilicet contempserunt sublimitatem terrenam: vt Aug. l. de pœnit. Sola enim humilitas non meretur præmium æternum; sed quatenus coniuncta est cum charitate; vt D. Thom. art. 5. *Hac autem ornata, est tutissimus virtutum omnium thesaurus*; [vt Basil. Const. monast. c. 17. Chrys. hom. 31. in Gen.] Adde quòd nihil est humilitate potentius; vt idem Chrys. hom. 20. in Acta. Ait enim, *Fortior est petra, solidior adamante, & in maiorem securitatem nos collocat, quàm queant vel turres, vel vrbes, vel muri: omnibusq. diaboli machinamentis sublimior facta, contingere volentibus insuperabiles facit: nihil magis odit dæmon, quàm humilem, & Dei amantem* (vt dicebat S. Antonius) *sic Iob superbum hostem humilitate percussit; crudelem patientia strauit*; [vt Greg. l. 2. Mor. c. 19.] Quid plura? *Virginitas Deo non placet sine humilitate*; vt Aug. l. de sancta virg. c. 31. Immo *Magis necessaria est homini humilitas, quàm virginitas*; [vt ait Bern. hom. 1. super

Alia ei⁹ encomia.

Humilitate nihil potentius.

Virginitati præfertur.

Missus

Missus est;] *Nihil* enim *sic est amicum Deo, quam si quis minimis se annumeret, estq; id caput totius philosophiæ, atque fastigium*, vt Chrys. hom 3. in Matth. [Plura idem de præstantia huius virtutis hom. 66. in Matth. & 38. & 69. ad pop. & 35. in Gen. & hom. 3. de Dauid & Saul.] Quare meritò humilitas dicitur esse *Signum prædestinationis*, à Gregor. lib. 34. Mor. cap. 18.

Gradus Humilitatis.

9 Gradus humilitatis duodecim numerauit S. Benedictus, quos exponit D. Tho. art. 6. Septem verò S. Anselmus l. de Simil. c. 10. & seqq. quos refert Rossign. l. 4. c. 38. Tres autem videntur præcipui. Primus est actus interior, quo quis contemptibilem se agnoscens ad ima demittit, appetitum frænans excellentiæ. Secundus, æquo animo ferre se vt contemptibilem tractari, & haberi. Tertius, hoc ipsum gratum habere, appetere, & amare. Chrysost. hom. 23. in Gen. Tres item ponit B. N. Ignatius in Exercitijs spiritualibus.

Indicia.

10 Indicia verò humilitatis, quæ sunt etiã media ad eam comparandam aptissima, adducuntur à Cass. l. 4. Inst. c. 39.

Hic tamen referam præcipua quædam ex sanctis Patribus deprompta. Primum est de se humiliter sentire. Greg. l. 4. Mor. c 17. Item se contemptibilem reputare, Bern serm. 13. in Cant. & item se talem agnoscere. [Chrysost. hom. 12. in Gen. Greg. 26. Mor. c. 23.] Denique amare nesciri. Bern. epist. 42. & contemni. Idem serm. 16. super Cant. Secundum est nolle laudari, [vt August. in Psalm. 33. &

1. Humiliter de se sentire.

2. Laudari nolle.

l. 19.

l. 10. Confess. c. 37. Bern. epist. 42.] Item ægrè ferre laudes suas, eas timere, & non credere, exemplo Sanctorum; vt Greg. l. 23. Mor. c. 9. Tertium se accusare. Greg. l. 22. Mor. cap. 14. Huc spectat nunquam de se magnificè loqui; vt Prou. 27. *Laudet te os alienum, & non os tuum.* [Greg. l. 21. Mor. cap. 11. & l. 22. c. 5. & nos supra c. 17.] Quartum obliuisci bonorum operum, & peccatorum recordari. [Chrysost. hom. 3. in Matth. Clim. grad 25.] Quintum obedire, & correctionem libenter suscipere. Hinc Augustinus a puero doceri paratus erat: vt supra dixi c. 31. Simile Gregor. in epist. & Chrys. hom. 3. in fine super Act. Apost. *Paratus sum, inquit, à vobis corrigi, & discere.* Item nolle præesse, sed omnibus subesse; [D. Thom. opusc. 63. c. 2. §. 3. Cass. l. 12. c. 30.] Sextum, humana cognoscere, & contemnere; vt Chrys. hom. 1. in 1. ad Cor. Septimum, cognoscere Deum. [Chrys. homil. de verbis David, *Quis sum ego*; & super Psalm. 115.] Octauum, res viliores eligere. Chrysost. hom. 67. in Matth. exemplo Christi saluatoris, qui elegit asellum. Matth. 21. Nonum, in seipso aspicere mala, in proximo bona: Greg. hom. 10. super Ezech. Propterea Climacus tenebat scriptas in cubiculi pariete virtutes sanctorum. Decimum, cum humilibus versari; [vt supra l. 1. tr. 3. c. 8. Et docet Ephr. to. 1. c. 96. Gers. l. 1. c. 8. de imit. Christi. Vndecimum, mortificare propriam voluntatem; & omnes suas cogitationes aperire patribus spiritualibus; [Cass. l. 4. c. 39. & nos supra tr. 1. c. 3. & 7.] & item abnegare pro-

3. Se accusare.

4. Obliuisci bonorum.

5. Obedire.

6. Humana despicere.

8. Vilia eligere.

10. Cum humilibus versari.

11. Se mortificare.

12. Mitẽ esse. proprium iudicium; vt Doroth. ser. 5. Duodecimum, mansuetum esse; nam *Mansuetudo est soror humilitatis.* Bern. serm. de Beata Maria, *Signum magnum*. De modis autem se humiliandi, lege Cass. l. 12. Inst. c. 32. & 33. [Plura de hac virtute lege apud Greg. l. 21. & 22. Mor. Chrys. hom. 35. in Gen. & hom. 3. in ep. ad Tit. hom. 3. & 66. in Matth. Ephr. tom. 2. paræn. 2. & 3. Basil. hom. 22. Macar. hom. 19. & 26. & 30. Clim. grad 25. Cassia. l. 12. Inst. c. 31. & collat. 15. c. 7.]

Auctores, qui de ea.

TRACTATVS TERTIVS.

De via Vnitiua.

Ardua hæc Tractatio.



XTREMA tractatio superest, vt Institutionem hanc concludam; quæ est de via Vnitiua, & animæ rationalis perfectione: quæ vt est ardua ad consequendum, sic etiam ad explicandum; sed Dei ope exponam primum quid sit via vnitiua, & quotuplex. Deinde agam de ecstasi intellectus, Tertiò de ecstasi voluntatis, Quartò de modo, ac ratione eam assequendi, Postremò de vltimo fine, seu æterna beatitudine.

Quid

Quid sit via Vnitiua, & quotuplex.
Cap. I.

1 VIa Vnitiua est *Ratio, ac modus, quo anima in hac vita cum Deo summo bono coniungitur per charitatem & contemplationẽ.* Pro intelligentia autem statuo, hanc viam consistere in charitate: hac enim anima Deo coniungitur, & hæc est eius perfectio. Hinc 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; & 1. Cor. 6. *Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est*; item ad Coloss. 3. *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Vinculum autem est conseruatio eorum, quæ perfectionem efficiunt, tanquam radix; vt Chrys. hom. 7. ad Coloss. Propterea Aug. l. 1. de doctr. Christ. c. 22. optimum hominem dicit esse eum, qui toto affectu inhæret incommutabili bono. Atque hoc petijt Christus Dominus à Patre, cùm ait; *Vt & ipsi in nobis vnum sint,* Ioan. c. 17. & paulò post, *Vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.*

Via vnitiua q.d.

Consistit in charitate.

2 Charitas in hac vita duobus modis haberi potest. Primùm vt excludat ab affectu hominis omne peccatum mortale; hoc enim contrarium est charitati: quaproptér sine hac perfectione charitas esse non potest. Secundò vt excludat id quod impedit, ne affectus mentis omnino dirigatur in Deum: & hanc non habent incipientes, nec proficientes, sed perfecti; [vt D. Thom. 2. 2. q. 184. ar. 2.] Ratio autem huius amoris Deus ipse est; vt exponit Caß. coll. 11.

Charitas quid excludat.

c.8. oportet enim Deum diligere propter seipsum, vt perfectus sit amor. Illud tamen adiungo, perfectam charitatem includere omnes alias virtutes; quia *Charitas patiens est, benigna est*, &c. 1. Cor. 13. Hinc Chrys. hom. 7. super epist. ad Coloss. ait, virtutes in radice charitatis perfectionem efficere; & hom. 23. in epist. ad Rom. *Virtutis*, inquit, *principium, & finis est dilectio*; & Gregor. Nyss. l. de vita Moysis perfectionem in eo positam esse docet, vt amici Dei efficiamur; non tamen excludit alias virtutes. Quare perfectio christiana consistit in vsu omnium virtutum; & item in remouendis omnibus impedimentis non solum contrarijs, sed quomodolibet eam retardantibus; deinde in diuini amoris affectu, & cum Deo summa, quantum ipse dederit, coniunctione: quocirca hæc via supponit vsum, & progressum in via purgatiua, & illuminatiua.

Quid includat.

In quo consistat perfectio.

3 Via vnitiua duplex est: Vna quæ præcipuè consistit in intellectu, seu in contemplatione; hac etenim anima adhæret Deo, vt supra dictum est §. 1. & tr. 2. c. 13. Altera, quæ maxime posita est in amore; quo voluntas propter Deum operans seipsam, & opera omninò transfert in Deum, perfecta sui, & rerum omnium abnegatione: amor enim est quædam vis vnitiua, & ecstasim faciens; vt infra dicam; quoniam amans transit affectu in rem amatam. Atque hæ viæ conueniunt inter se, primum quod vtraque requirit perfectam charitatem, & virtutum vsum, ac sui, rerumq. omnium abnegationem. Deinde quod vtraque intendit animam

Via vnitiua duplex, intellectus, & amoris.

In quib9 conueniant.

mam coniungere Deo. Differunt tamen in pluribus: Primum quòd prior sit potius speculatiua, quàm practica: posterior verò magis practica. Deinde, quia illa tam multa requirit, vt sit restricta, & rarò, ac paucis concessa: hæc verò vbique, semper, ab omnibus, & in omni opere haberi potest. Tertiò, illa exposita est illusionibus Dæmonis, amori proprio, seu concupiscentiæ,& superbiæ propter gustum,& eleuationem mentis: in hac autem homo penitus se deserit, nec quicquam aliud quærit præter Deum. Quartò illa est angusta: hæc autem dilatat cor ad infinita; nam vult omnia posse, vt Deo det, ac propter eum laboret, vt infra patebit. Postremò sequitur hanc vnionem amoris esse perfectiorem, & homini ad beatitudinē consequendam magis necessariam: in ea enim se totum integrum homo transfert in Deum; per vnionem verò intellectus tradit solum partem sui, vt infra c.4. §.6. exponam. In quib⁹ differāt. Amoris pfectio.

De Ecstasi intellectus. Cap. II.

ECstasis est *Excessus hominis à seipso, quo scilicet ponitur extra suam ordinationem*; [vt D. Thom. 2.2. q.175. art.2.] Cui Raptus superaddit violentiam: est enim raptus, quo aliquis spiritu diuino eleuatur ad aliqua supernaturalia, cum abstractione à sensibus. Cùm enim homo eleuata mente fruitur diuina præsentia, & consortio in oratione; abducit intellectum à sensibus tanta efficacia, vt planè deserat sensus, & maximò affectu diuina tantum gustet. Hæc autem requirit magnam solitudi- Ecstasis quid. Raptus quid. Quid requirant.

nem, & abdicationem omnium aliarum actionum, atque exercitationem in via purgatiua, & illuminatiua: hoc est perfectam sui abnegationem, & virtutum omnium exercitationem, ac intellectum valde aptum, & illuminatum. Estq. triplex, iuxta triplicem renunciationem Cassiani coll.3. c.6. & 7. Quarum prima consistit in contemptu diuitiarum: altera in morum, ac vitiorum emendatione: postrema in omnium rerum visibilium contemptione, ac displicentia; vt mens ab illis seiuncta, inuisibilia tantùm contempletur. Quæ cum paucis liceant, paucissimorum est; multi enim vel sunt hebetes, vel alijs negotijs distenti; & denique exposita est illusionibus, & periculis; vt dictum est, nulliq. regulæ subiecta: ex priuilegio tamen multis Sanctis concessam satis constat. Lege D.Thom. loco notato.

Est triplex.

De Ecstasi voluntatis. Cap. III.

Ecstasis amoris, & voluntatis.

HAec est altera Ecstasis longè vtilior; qua scilicet appetitus tendit ad ea, quæ extra ipsum sunt, vt D. Thom. art.2. ad 1. Hinc D.Dionys. c.4. de diu. nom. *Diuinus*, inquit, *amor est ecstasim faciens*; quatenus scilicet facit appetitum hominis tendere ad res amatas, idest ad diuina, pro quibus homo seipsum omninò deserit: quod vt planius fiat, aliqua statuenda sunt. Primum ad hanc ecstasim satis esse, vt intellectus habeat vsum rationis, & sit illustratus lumine supernaturali, seu instructus in mysterijs fidei catholicæ, quæ habentur in

Quid ad eam requiratur.

solito

solito catechismo, cuius etiam mulier est capax. Deinde statuo, ad hanc requiri exercitationem, & progressum in virtutibus, atque abnegationem omnium rerum; honoris præsertim, amoris proprij, ac propriæ voluntatis;[ex D. Aug. q. 36. l. 83. qq.] ita vt quæramus diuinã gloriam, & in omnibus Deo, non nobis placere studeamus; [de quo nos supra, tract. 1. c. 19. & 20.] Postremò adiungo ad hanc ecstasim non esse opus solitudine; sed vt quisque pro sui status conditione vacet quotidie orationi, ac meditationi, ne in externis occupationibus dissipetur, vtq. facilius animam eleuet in Deum, etiam in ipsis actionibus externis: sicut enim antea se exercuit in via purgatiua, & illuminatiua; ita nunc se exerceat in vnitiua, sine vlla status mutatione. Et propterea Christus Dominus vitam communem elegit, & commercium; vt nos virtutibus suis informaret, & actiones sanctificaret: quo sit, vt ab hac vnione nullus Christianus, qui sit rationis compos, excludatur; cuiuscumque status ille sit, & conditionis: hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra. 1. ad Thess. 4. quapropter facilem viam omnibus strauit.

Non requirit solitudinẽ.

Qua ratione, & modo hæc vnio cum Deo perfici possit. Cap. IV.

1 CVm perfecta vnio cum Deo consistat in charitate, vt dictum est; ex perfecta amoris exercitatione eam pendere necesse est. Age ergo de hac pauca dicamus, quæ in Exer-

citio spirituali continentur B.P. Ignatij, quod proponit ad amorem spiritualem in anima excitandum. Quare primum statuo, amorem ab operibus magis quàm à verbis pendere: atque vehementius excitari labore, quàm cogitatione, alijsve signis. Hinc Matth.7. *Non omnis, qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui fecerit voluntatem patris mei*; & 1.Ioan.3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Patet etiam experientia in humanis: magis enim te amat, qui pro te laborat, & pugnat; quàm qui solum tua consuetudine vult frui, & nihil tua causa pati. [lege Chrys. hom.12. in Matth. & quæ nos tr.2. c.22.] Secundò statuendum est, amorem consistere in mutua facultatum, rerum, & operum communicatione: nam quamuis amicus dum laborat pro amico non contempletur actu illius bonitatem, pulchritudinem, &c. accenditur tamen affectus vehementius ipso opere; nam virtualiter totus in amatum fertur, etiamsi de illo non cogitet, & cum eo non versetur: immò crescit amor, etiamsi alter vicissim pro eo non laboret; vt cùm pater laborat pro filio, qui est in otio. Tertiò ex his intelligitur, quanta esse debeat vnio hominis cum Deo; qui sua infinita essentia, & maiestate, cœlum, & terram implet; Hierem.23. Et est vbique præsens, atque omnia operatur in nobis, Isa.26. Et seipsum communicat, & quodammodo pro nobis laborat; & Christus Dominus verè pro omnibus laborauit, & meruit omne bonum sua passione; vt pro-

Opera magis q̃ verba signa sunt amoris.

Amor in mutua communicatione consistit.

Quāta esse debeat vnio cū Deo.

prosequitur D.Thom. opusc.63. c.2. §.3. Absit igitur vt solum commercium cum Deo quæramus in contemplatione, & otio; dum ipse de nobis adeò sollicitus est, & tanta pro nobis agit. Hinc Petrus Apostolus ep. 1. c. 4. *Christo*, inquit, *in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini*: Propterea Sancti omnes in laboribus multis secuti sunt eum; vt D.Paul. 2.Cor.6. & ad Heb.11. testatur. Quartò, adde quòd in ipso opere habere possumus consortium diuinitatis: dum enim pro eo laboramus, qui semper adest, eius consortio non priuamur: nam omnia creata sunt à Deo, & in eis diuina bonitas relucet, vt imago in speculo; quoniam *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, ad Rom.11. Quare sicut lumen à sole, & aquam à fonte, sic imaginemur omnia esse à Deo, & ab eo pendere; (quamuis imperfectæ sint similitudines, & ad rei veritatem explicandam non sufficiant.) Sic Sancti in omnibus creaturis Deum agnoscentes contemplabantur eum, & tanquam præsentem venerabantur. Quintò, cùm hæc vnio, quæ fit per amorem, optima, & tuta dispositio sit ad Ecstasim intellectus, accidit ex Dei priuilegio, vt coniungantur in aliquo homine, qui scilicet vtraque fruatur. Verumtamen tota cura collocanda nobis est in ecstasi amoris, & de ecstasi intellectus non adeo laborandum. Vt autem planius tandem explicemus quomodo fiat ecstasis voluntatis, satis est (positis ijs, quæ supra c.3. diximus) vt eadem solita opera virtutis non ad purgationẽ, vel illuminationem, sed ad vnionem cum Deo refe-

In omnibus reb⁹ possum⁹ vniri Deo.

Coniũgitur inter dum cum Ecstasi intellect⁹.

Quo pacto volũtatis vnio acquiratur.

referamus; nempe vt sicut ipse Deus in illis communicat se nobis, cùm sit præsens, operans, & quærat delicias suas nobiscum; ita nos vicissim in ijsdem actionibus totum demus Deo, nihil nobis; & item cum illo versari, & vniri omni conatu contendamus. Sextò, hæc tamen vnio non pendet ex dicta speculatione, sed ex voluntatis imperio: quo opus, & seipsum homo offert Deo, renuntiando sibi, & per opus se in Deum transferẽdo: Quapropter ipsummet operari modo iam dicto est verè, & practicè Deo vniri per transitũ, ecstasim, ac transformationẽ altissimam in Deum, sicut ipse dat se nobis: & tunc voluntas non, sicut in prima ecstasi, partem separat à se, & alteram tradit amato; sed totum penitus hominem transfert in illum: ita vt nihil velit, nisi quod vult Deus, & sic dicat, *Viuo autem iam non ego; viuit verò in me Christus*, ad Gal. 2. Et item *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*, ad Philip. 1. Ex quo sequitur præstantiorem esse ecstasim voluntatis, quàm intellectus: Quod vt facilius intelligatur, animaduertendum est, intellectũ hominis in rerum diuinarum contemplatione interdum tam efficaciter eleuari, vt trahat ad se affectum, seu voluntatem; & hæc, humanis actionibus relictis, etiam eleuetur à sensibus, & transeat in Deum. Cum igitur sensus, ac totus homo inferior non sequatur in hac ecstasi partem superiorem, sed potius illam deserat, & vicissim ab ea deseratur; manet homo quasi diuisus in duas partes: nam pars superior transit in Deum; inferior autem quasi

Pendet ex voluntatis imperio.

Præstat Ecstasi intellectus.

exa-

exanimis deseritur. In ecstasi verò amoris totus homo in amatum transfertur: quia pars superior Deo vacat, & etiam inferior totam se, imperio voluntatis, tradit diuino obsequio: ita vt non sibi, sed illi viuat, & operetur; vt dictum est. Septimò, cum inter præcipua media, quibus ad hanc vnionem peruenitur, numeretur oratio; propterea aliqui scripserunt meditationes, & orationes ad eam comparandam, & conseruandam aptissimas: sicut etiam pro via purgatiua, & illuminatiua: quod excellenter præstitit D.Bonau.in lib. de mystica Theol. & N. B.Ignatius in libello Exercitiorum spiritualium, & alij multi. Illud etiam adiungo, præter quotidianam meditationem, multum prodesse, Orationes iaculatorias interponere in qualibet actione: [de quibus August. epist. 121. ad Probam. Clim. serm.4. Arias tract. de præsentia Dei, & nos supra tract.2. cap.13. §.8.] Huiusmodi sunt hæ, *Diligam te Domine fortitudo mea: Benedicam Dominum in omni tempore: Deus in adiutorium meum intende:* & aliæ similes. In primis autem sit oratio Dominica, quam D.Bonau. aptat etiam viæ purgatiuæ, & illuminatiuæ. Neque id mirum: nam sicut omnes actiones hominis, mutata intentione, seruiunt omnibus illis vijs, sic etiam quælibet oratio eisdem accommodari potest; quāuis aliquæ vni magis, quam alijs conueniant. His adde quòd quamuis hæ tres viæ per se distinctæ sint; tamen in praxi ferè semper coniunctæ sunt, & colligatæ. Qui enim purgatur, si ve-

Medium ad eam præcipuū est oratio.

Prosunt etiā orationes iaculatoriæ.

Tres viæ semp in hac vita coniunctæ.

si verè est contritus, est etiam illuminatus, & vnitus Deo, etsi non perfectè; similiter illuminatus adhuc eget purgatione; immò & qui est vnitus Deo (quoniam in hac vita non est perfecta vnio) eget adhuc via illuminatiua, & purgatiua; vt orare meritò possit, *Amplius laua me*, &c. [Lege Bern. serm. de quatuor modis orandi, & quæ nos initio lib. 1.] Octauò cogitare assiduè, & in oculis habere Deum, eius amorem maximè excitat; [vt Ricar. Victor. de grad. charit. c. 3. Lege Arias tract. de præsentia Dei; Rossign. lib. 5.] Nonò restat admonere eum, qui Dei beneficio ad hanc vnionem peruenit, ne se ita tutum, atque ab impugnationibus hostis liberum esse putet, ac si cũ beatis in cælo versaretur: dum enim hic viuimus, in militia sumus. Quapropter etiam sanctis permittit Dominus tentationes, vt demisso animo sint, vt D. Paulo 2. Cor. 12. [de quo Greg. 28. Mor. c. 7. & 8. & alibi.] Immò verò perfectos à vitijs interdum vrgeri testatur Greg. lib. 19. Mor. c. 6. & præsertim superbia; [vt August. lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 5. item curiositate orta ex superbia; vt idem Aug. lib. 10. Confess. c. 35.] & denique inani fiducia; quare dato aditu, mors intrat in animam; [vt D. Greg. lib. 21. Mor. cap. 2.] Quocirca vigilare eos semper oportet, & ad proprias infirmitates respicere; [vt monet idẽ lib. 4. Dial. c. 11. & alibi.] Caueant præterea iudicia temeraria, libertatem in loquendo, cõtemptum aliorum; hæc enim ex superbia nascuntur; [lege Cass. collat. 11. c. 10. & l. 5. Inst. c. 30.]

Psal. 50.

Prodest Dei præsentiam meditari.

Nemo quis perfect⁹ est tutus.

Cass. coll. 5. c. 6.

Quid cauendum.

c.30. Chryſ. ho. 10. in ep. ad Heb. Greg. l. 4. Mor. c. 21. & 22. & lib. 3. Dial. c. 14. Roſſig. l. 5. c. vlt.

10 Poſtremò vt concludam, illud adiungo; ſignum adeptæ perfectionis, non eſſe nunquam peccare venialiter; ſed habere amorem filialem erga Deum; [vt Caſſ. collat. 11. c. 13. & collat. 20. c. 11. & collat. 22. c. 13.] Item opera bona, 1. Ioan. 2. [Chryſ. hom. 12. in Matth. Greg. lib. 9. Mor. c. 14. & 17.] Item putare ſe nihil hactenus feciſſe, vt Bern. ep. 142. Et denique abnegaſſe perfectè propriam voluntatem, & amorem: atque eſſe ita erga Deum affectum, *vt malit homo purus, & innocens gehennam ingredi, quàm peccati ſorde pollutus cælorum regna tenere*; [vt ait Anſelmus lib. de ſimilitud. c. 190.] Quoniam verò memoria æternæ gloriæ, quam præparauit Deus diligentibus ſe, maximè ſolet amorem erga eum excitare: vt ſaltem inclinemus cor noſtrum ad faciendas iuſtificationes Dei propter retributionem, de ea nonnulla dicam.

Signa pfectionis.

Gloria æterna amorem cōciliat.

De æterna gloria. Cap. V.

DE vita æterna, & gloria Paradiſi etſi melius eſt ſilere, quàm pauca dicere; indicabo tamē ſumma quædam capita ijs meditanda, qui ad eam aſpirant, ſolaq. eius cōmemoratione maximè commouentur. Quanta enim ſint illa ſupernæ ciuitatis gaudia, adūbrari quidem per ſimilitudines poteſt, exprimi non poteſt: quoniam *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcēdit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illū*, 1. Cor. 2. Verum-

Gloria æterna inexplicabilis.

Quid de ea Scriptura.

rumtamen diuina illa vox est, *Delectabuntur in multitudine pacis*: Psal. 36. & illa, *Declinabo super eam quasi fluuium pacis*; Isai. 66. & *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*; Ps. 35. & Dñs Lucæ 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*; item cap. 22. *Vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*. Super mensam vtique omnibus delitijs, & bonis affluentem; idq. in regno omnium sæculorum, hoc est cælesti, & æterno: Quapropter meritò propheta, *Melior est*, inquit, *dies vna in atrijs tuis super millia*; Psal. 83. quia scilicet, vt vel vna solum die tanta gloria frueremur, contemnendi essent, (si ea daretur optio) innumeri huius sæculi dies cum omnibus eius delitijs: [vt August. lib. 3. de lib. arb. in fine:] immo verò eligendum pro ea hic igne vri; [vt idem Aug. serm. 2. in festo omn. Sanct. Bern. serm. 1. in eod. fest. & Chrys. hom. 28. in ep. ad Heb.] *Si enim tanta largitus est nobis in via, quid dabit in patria? Si tanta tribuit amicis, & inimicis, quid est quod reseruauit solis amicis?* Aug. Soliloq. c. 21. Id nimirum quod Dominus ipse indicauit Moysi Exod. 33. cum ait: *Ego ostendam omne bonum tibi*: proinde Dauid Psal. 16. *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua*; Ibi enim (vt ait August. Medit. c. 17.) *est summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda fælicitas, fælix æternitas, æterna beatitudo, & beata Dei sine fine visio, atque laudatio*: & idem in Enchir. c. 35. asserit,

Pro ea cōtemnēdæ oēs vitæ delitiæ.

rit, non minus gaudere beatos in cælo de bono alterius, quàm de proprio. Cum igitur tot tantaq. sint bona, quale gaudium erit? [idem Chryſ. hom.28. in ep. ad Hebr. & hom. 15. in Matth.] Quapropter B. Lauren. Iuſtin. [lib. de diſcipl. & perfect. monaſt. c.24.] meritò exclamat; *O ſi ſcirent mortales qualia & quanta ſint gaudia electis repoſita in cælorum conuiuio: O ſi Chriſto famulantes guſtarent, quæ preparauit Deus diligentibus ſe; excuterent prorſus à ſe omnem torporem, omnemq. mentis hebetudinem abijcerent ſine mora. Quæ autem mens non ferueat deſiderio, non elangueat charitate, non repleatur exultatione; ſi recogitet diligenter delitias Paradiſi; ſi humani ſpiritus futuram gloriam aſsiduè meditetur?* Præterea Auguſt. in Pſal. 36. concio. 1. in fine, *Deus tuus totum tibi erit; manducabis eum, ne eſurias; bibes eum, ne ſitias; illuminaberis ab eo, ne ſis cæcus; fulcieris ab eo, ne deficias; poſsidebit te totum integrum, totus integer;* & ſuper Pſal. 26. *Suſtine,* inquit, *Dominum, non ſuſtinebis mendacem; non eum qui poterit falli; non eum qui non eſt inuenturus quod det: omnipotens promiſit; ſuſtine Dominum, viriliter age:* & ſuper Pſal. 64. *Quemadmodum ergo de naui, quæ in anchoris eſt, rectè dicimus, quod iam in terra ſit, adhuc tamen fluctuat,* &c. *ſic contra tentationes huius peregrinationis noſtræ ſpes noſtra, fundata in illa ciuitate Hieruſalem, facit nos non abripi in ſaxa.* Hæc Auguſtinus iuxta ea, quæ Apoſtolus ſcribit ad Heb.6. vbi ait, *Qui confugimus ad tenendam propoſitam*

ſpem;

Spem; quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. Et B. Petrus epist. 1. cap. 1. *Regenerauit nos*, inquit, *in Spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis; in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis in vobis*, &c. Hac spe ducti Sancti Dei, rebus omnibus mundi huius contemptis, tam auide, tamq. fortiter labores, & ærumnas omnes pro Christi nomine sustinuerunt; vt ad martyrium, quasi ad epulas, properarent: vt obseruat August. Soliloq. cap. 22. Satagamus igitur, *vt per bona opera certam vocationem, & electionem nostram faciamus*, 2. Petr. 1. Nam vitam æternam non obtinent nisi illi, qui bene operantes vsque in finem, atque in Deum sperantes illam merentur; [vt statuitur à Concil. Trid. sess. 6. c. 11. & 16. de Iust.] Confertur enim, *& tanquam gratia* filijs Dei per Christum, promissa; *& tanquam merces* ipsorum meritis reddenda; & hæc est *corona iustitiæ*, reposita ijs, qui diligunt Deum. Quoniam vero in multis offendimus omnes, non minus misericordiam, quàm seueritatem Dei nostri ante oculos habentes, parati simus reddere rationem ei, *qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus erit vnicuique à Deo*: qui reddet singulis secundum opera sua.. Sed tandem finis sit: nam quod deest tu, studiose Lector, supplebis, vel ex scriptoribus hauries: si quid verò in hoc libello placet, Deo tribue; quod non placet, humaniter condona.

Ob eã Sãcti cõtẽptis oĩb⁹ Christũ sequuti sunt.

Bonis operibus acquiritur.

1. Cor. 4.

Cõclusio operis.

F I N I S.

INDEX RERUM
Memorabilium.

Ora-

Ver-

FINIS.



Errata sic corrigenda.

Pag.	verſ.		
26	*vlt.*	cum *corrige*	eum
37	20	Principium	Principum
80	24	peccaturum	peccatorum
81	1	Demini	Domini
90	6	aufert	auferet
109	8	Eccle.26. *corrige*	Eccle.28.
114	15	contraxit	contraxi
128	9	*in margine* ſacrorum *corrige*	ſacramentorum.
154	15	patentiæ	patientiæ
169	23	porfecta	perfecta
198	13	cap.2. *corr.*	cap.30.[*Aliqua tamen exemplaria correcta ſunt.*]
203	23	ſenſum	ſenſuum
237	23	nonnullam	nonnulla
252	9	Filij dilecti,&c.[*Hac ſententia non erat cudenda diuerſo charactere.*]	

Alia Lector per ſeipſum corriget.






REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O
P Q R S T V X.

Omnes sunt Quaterniones, præter X, quod est Duernio.



ROMÆ, Apud Bartholomæum
Zannettum. M. DC. X.

Superiorum Permissu.

